IUS POENALE

...E THEOLOGICAL UNION LIBRARY
...RKELEY PLACE
BERKELEY, CA 94709

ET

ORDO PROCEDENDI

IN IUDICIIS CRIMINALIBUS

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

AUCTORE

IOANNE CHELODI

I. C. DOCTORE ET PROFESSORE - S. R. ROTAE ADVOCATO

TRIDENTI

LIBR. EDIT. TRIDENTUM

1920

IUS POENALE

ET

ORDO PROCEDENDI IN IUDICIIS CRIMINALIBUS

EIUSDEM AUCTORIS APUD EUNDEM BIBLIOPOLAM:

IUS MATRIMONIALE iuxta codicem iuris canonici, *editio altera, 1919*

Lib. 6.50

IUS POENALE

ET

ORDO PROCEDENDI

IN IUDICIIS CRIMINALIBUS

IUXTA

CODICEM IURIS CANONICI

AUCTORE

IOANNE CHELODI

I. C. DOCTORE ET PROFESSORE - S. R. ROTAE ADVOCATO

TRIDENTI

LIBR. EDIT. TRIDENTUM

1920

NIHIL OBSTAT

Tridenti, 11 iulii 1920

I. B. BAZZOLI, Censor

IMPRIMATUR

Tridenti, 16 iulii 1920

L. ECCHELI, Vic. gen.

IURA PROPRIETATIS RESERVANTUR

PRAEFATIO

Notabilis pars huius opusculi iam aestivis mensibus anni 1918 scripta est. At belli vicissitudines et deinde supervenientia urgentiora negotia prohibuerunt quominus absolveretur. Interea aliqua commentaria clarorum Doctorum publici iuris facta sunt quae de censuris agunt, nullum tamen hucusque, quod sciam, in quo totum ius poenale systematice proponatur. Quare, licet auctor aliquamdiu haerens manserit num, post aliorum egregios labores, opportunum esset suum quoque proelo submittere, visum est nihilominus forsan non inutile fore si opella integrum librum quintum Codicis exhibens, non modo theologiae moralis sed iuris canonici auditoribus imprimis accomodata, praesto esset.

In qua exaranda, eadem methodo ac in «Ius matrimoniale» usi sumus, cum et decreto Congregationis de Seminariis d. d. 7 augusti 1917 apprime respondere et, ut experientia docuit, usui scholae haud parum conveniens videatur.

Tridenti, die 1 mensis Iulii 1920.

Auctor

Acc 5496

INDEX

INTRODUCTIO . . . . . pag. 1

CAPUT PRIMUM

DE DELICTO

I. De delicti natura eiusque divisione . . . . . „ 3
II. De elemento subiectivo delicti . . . . . „ 6
III. De elemento obiectivo delicti . . . . . „ 11
IV. De concursu in delictum . . . . . „ 13
V. De conatu delicti . . . . . „ 15

CAPUT SECUNDUM

DE POENIS IN GENERE

I. Systema poenale Ecclesiae . . . . . „ 16
II. Quomodo poenae applicandae et interpretandae sint . . „ 19
III. A quo et in quem poenae ferantur . . . . . „ 23
IV. A quo et quomodo poenae remittantur . . . . . „ 29

CAPUT TERTIUM

DE POENIS IN SPECIE

A. De poenis medicinalibus

I. De censuris in genere . . . . . „ 31
II. De excommunicatione . . . . . „ 38
III. De interdicto . . . . . „ 43
IV. De suspensione . . . . . „ 47

B. De poenis vindicativis

I. De his poenis in genere . . . . . „ 51
II. De poenis vindicativis communibus . . . . . „ 53
III. De peculiaribus poenis clericorum . . . . . „ 55

C. De remediis poenalibus et poenitentiis

I. De remediis poenalibus . . . . . „ 59
II. De poenitentiis . . . . . „ 61

CAPUT QUARTUM

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

I. Delicta contra fidem et unitatem Ecclesiae . . pag. 62
II. Delicta contra religionem . . . . . „ 67
III. Delicta contra auctoritates, personas, res ecclesiasticas . „ 73
a) Contra auctoritates . . . . . „ 73
b) Contra personas ecclesiasticas . . . . . „ 82
c) Contra res ecclesiasticas . . . . . „ 87
IV. Delicta contra vitam, libertatem, proprietatem, bonam famam ac bonos mores . . . . . „ 91
V. Crimen falsi . . . . . „ 101
VI. Delicta in administratione et susceptione sacramentorum . „ 103
VII. Delicta contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi „ 111
VIII. Delicta in collatione et dimissione officiorum et beneficiorum . „ 119
IX. Delicta per abusum potestatis vel officii ecclesiastici . . „ 126

CAPUT QUINTUM

DE IUDICIIS CRIMINALIBUS

I. De foro competenti . . . . . „ 132
II. De criminali actione . . . . . „ 134
III. De mediis vitandi iudicium criminale . . . . . „ 137
IV. De ipso processu . . . . . „ 141
Conspectus censurarum latae sententiae quae in C. I. C. continentur . . . . . „ 145
Canones ex iure poenali . . . . . „ 149
Index alphabeticus . . . . . „ 152

SIGLA

A. = Acta Apostolicae Sedis, commentarium officiale, ab anno 1909.
AS = Acta Sanctae Sedis (1865—1908).
AK = Archiv für katholisches Kirchenrecht (inde ab anno 1857).
C. = Codex Iuris canonici (a. 1917).
CA = Codex austriacus poenalis (a. 1852).
C. C. = Sacra Congregatio Concilii.
CG = Codex germanicus poenalis (a. 1872).
CGa = Codex Gallicus poenalis (a. 1810).
CI = Codex italicus poenalis (a. 1890).
C. I. = Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos.
C. P. F. = Sacra Congregatio de Propaganda Fide.
C. R. = Sacra Congregatio Rituum.
C. S. = Sacra Congregatio de disciplina sacramentorum.
ME = Monitore ecclesiastico (inde ab a. 1878).
R. = Sacra Romana Rota.
S. O. = Sacra Congregatio Sancti Officii.
S. P. = Sacra Poenitentiaria.
a. = articulus.
c. = caput.
can. = canon (novi Codicis).
. = lex (in allegationibus iuris Romani et iuris civilis).

INTRODUCTIO

1. Potestatem coactivam Ecclesia sibi vindicat dum affirmat suam *iuridicam perfectionem.* Est enim attributum essentiale principatus; cum non leges ferre tantum et iudicia exercere, sed et reluctantes cogere, transgressores cohibere ad ordinem publicum servandum et socialem finem efficaciter assequendum necesse sit.

Qui finis, utique, imprimis obtinetur per *media supernaturalia,* unicuique homini oblata atque ab unoquoque *libere* sibi applicanda, et in hoc inanis est quaelibet coercitio. De sua mala voluntate fidelis rationem redditurus est Deo; tantummodo potestate *vicaria* Ecclesia illum iudicat in *foro interno*, a culpis absolvit, poenitentias *sponte* susceptas ei imponit.

At, qua societas ex hominibus coalescens, Ecclesia bonum singulorum etiam per ordinem iuridicum, *mediis socialibus,* promovere debet. Saluti *publicae* consulit, ut *privata* facilius et securius attingatur. Hic agit nomine proprio, in *foro externo,* et sua iura tuetur dum legum violatores, qui finem socialem frustrare vel praepedire conantur, aptis remediis, poenis, coercet. Ad hoc ordinatur complexus ille normarum, qui constituit *ius poenale* (materiale et formale)[1]. Qua in re ipsa eodem iure gaudet et utitur ac quaelibet alia perfecta societas, *nulloque limite* obstringitur nisi illo, qui a natura rei signatur. Quod ius Ecclesia, contra antiquos et modernos adversarios,[2] semper, theoretice ac pratice, diserte sibi vindicavit[3].

---

[1] Ius poenale *materiale* (de delictis et poenis) exhibet integer V lib. C., ius poenale *formale* (ordinem procedendi) t. 19 libri IV.

[2] Quorum *alii* quancumque iuridicam potestatem ei denegant, *alii* adhibendi spirituales tantum poenas concedunt. Ceterum haec quaestio ad ius publicum pertinet. cf. *Cavagnis.* Institutiones iuris publici eccl.[4], I (Romae 1906) p. 66 ss., 180 ss ; *Rivet,* Quaestiones iuris eccl. publ. Romae 1912, 82 ss.; *Hollweck,* Die kirchlichen Strafgesetze, Mainz 1899, Einleitung IX—XXIX.

[3] *Ioa. XXII,* Const. *Licet,* 23 oct. 1327, prop. 5 (*Denzinger*[10], 499) ; *Pius VI,* Const. *Auctorem fidei,* 28 aug. 1794 (*Denzinger,* 1504, 1505) ; *Pius IX,* syll. n. 24 (*Denz.* 1724) et encycl. *Quanta cura* 8 dec. 1864 (*Denz.* 1697) ; *Leo XIII,* encycl. *Immortale Dei,* 1 nov. 1885, § Tam ingens.

Aliud est an ipsa, quolibet tempore, *opportunum* ducat integre suam potestatem exercere. Attamen, sive sapienter abstineat, sive prudenter dissimulet, sive violenter impediatur, iure suo *divino, nativo* et *independenti* non cadit.[1]

Primordia *iuris poenalis ecclesiastici,* quod aperte in Matth. 18, 15 ss. indicatur, iam *aetate apostolica* habentur: Paulus iterato potestate coercitiva usus est.[2] Poena est exclusio a communitate, quae praecipua mansit etiam *tribus sequentibus saeculis,* simul tamen iam accedit poenitentia publica, quae naturam iuridicam habet et in foro externo imponitur;[3] clericis iam applicatur, insuper, privatio fructuum et depositio. Quae imprimis puniuntur sunt *crimina capitalia,* tres classes: idololatria, moechia et homicidium; at in alia quoque delicta, quae graviter ordinem christianae communitatis perturbant, potest episcopus animadvertere.

Libertatem assecuta, Ecclesia suum ius uberius evolvit et accuratius determinat; *inter saec. IV et VII,* per canones complurium synodorum, summae lineae systematis alicuius poenalis firmantur. Excommunicationi adduntur, ut *minores poenae,* privatio eucharistiae vel aliorum iurium spiritualium, prohibitio ab ingressu ecclesiae; *clerici* praeterea iam multimode castigari possunt: reductione ad statum laicalem, depositione, deiectione in inferiorem gradum, inhabilitate ad superiorem, translatione, suspensione ab officio vel a redditibus, verberatione.[4] Delicta propius determinantur, tribus antiquis classibus novae species criminosae adiunguntur. *Imperatores* Romani tum auxilium brachii saecularis in singulis puniendis canonicis delictis praestant, tum quaedam crimina religiosa ea civilia quoque statuunt (haeresim, idololatriam, simoniam etc.), tum transgressiones clericorum sanctionibus suis muniunt.

Ab aetate merovingica *poenae temporales,* fustigatio, carcer, exilium, decalvatio, bonorum confiscatio, mulctae pecuniariae, amissio officiorum laicalium, reductio in servitutem primum in iure poenali Ecclesiae apparent, partim sub influxu legum *populorum Germanicorum,* partim ut feris eorumdem moribus efficacius occurratur. Inter spirituales poenas evolvitur *interdictum,* poenitentia publica iam indubie etiam invitis imponitur et suum locum in ordine poenarum obtinet, excommunicatio paulatim secumfert sequelas civiles.[5] Exinde, *durante*

---

[1] Can. 2214, § 1. «Nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet humana auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis *tum* spiritualibus *tum* etiam temporalibus.»

[2] I Cor. 4, 19; 5, 2 ss.; II Cor. 13, 2; II Thess. 3, 14; I Tim. 1, 20; Tit. 3, 10. Exegesim horum textuum contra Sohm, qui veterum quorumdam obiectiones renovavit, habes apud *Hollweck,* XVI ss.

[3] Ideoque tamquam vera poena considerari potest. *Hinschius,* System des katholischen Kirchenrechts, IV (Berlin 1888) 695 s. vult, e contra, eam fuisse tantummodo *iuridicam conditionem* poenae tollendae. Certum est, vero, poenitentiam induisse naturam satisfactionis *publicae* (erga societatem) non dumtaxat *privatae* (erga Deum). cf. *Hollweck,* § 94, n. 5.

[4] Textus plurimos v. allegatos a *Hinschius,* IV, 699-715; 726-743.

[5] Iam inde ab aetate carolingica. Contumax in censura percellitur proscriptione regia (banno). Sequentibus saeculis coniunctio excommunicationis et banni certis legibus firmatur et ipso iure sequitur vel saltem postulante iudice ecclesiastico. *Eichmann,* Acht und Bann im Reichsrecht des Mittelalters, Paderborn 1909, 12 ss. 32, 55 ss., 58 s., 64 ss. Vicissim Ecclesia suis sanctionibus auctoritati saeculari adest, quin tamen umquam obligationem assumpserit; et quidem inde a fine saec. XIII gladius spiritualis magis timetur quam temporalis. *Eichmann,* o. c. 20, 28, 30, 34, 122, 134 ss. 140 ss.

toto *medio aevo,* ius poenale canonicum consequenter ampliatur et perficitur, quin tamen essentialiter mutetur. Magis magisque vita religiosa et civilis permiscentur, Ecclesia suam iurisdictionem extendit ad complura delicta *mere civilia* (causae synodales),[1] praeterquam ad *delicta mixta,* quae, natura sua, utriusque fori sunt. Auctoritas civilis sententiis exequendis largissime praesto est;[2] ipsi reges et principes poena depositionis plectuntur.[3]

Interim distinctio inter poenas *vindicativas* et *medicinales* clarius statuitur;[4] censuris ferendae sententiae, quae usque ad saec. VIII fere exclusive adhibebantur, sufficiuntur frequenter, imo nimis frequenter, censurae *ipso facto incurrendae,* dum e contra poenitentia publica, inde a saec. XII, ab usu recedit.

Decretum Gratiani, C. J. C. et doctrina in periodo classica iurisprudentiae canonicae *unitatem* et *universalitatem* afferunt in multiplices leges criminales, e fontibus particularibus hucusque ortas. Atque ius Decretalium, a Conc. Trid. confirmatum et, quoad censuras tantum, a Pio IX, Const. *Apostolicae Sedis,* 12. oct. 1869, recognitum correctumque, duravit usque ad codificationem.

Attamen, iam medio aevo exeunte, incipit *reactio* contra iurisdictionem canonicam, tum civilem tum criminalem.[5] *Modernus status* primum sibi avocat delicta mere civilia et mixta, dein Ecclesiam in exercitio potestatis coactivae semper pressius coarctat, ita ut hodie, *practice,* amisso quoque foro privilegiato in criminibus civilibus clericorum, universim ad usum poenarum *solummodo* spiritualium in delicta *mere* ecclesiastica reducta sit.[6]

CAPUT I

DE DELICTO

I. DE DELICTI NATURA EIUSQUE DIVISIONE

2. Notio delicti. Cum lex poenalis *ordinem iuridicum* tueri nata sit, non omnes actiones quae in divina praecepta offendunt, ideoque malae sunt, neque cunctas etiam quae humano iure vetantur, sed eas tantum quae societati peculiare videntur periculum damnumque afferre sub poena constituit. Haec est notio *delicti,* quo nomine «iure ecclesiastico intelligitur *externa* et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit *sanctio canonica* saltem indeterminata» (can. 2195, § 1).

---

[1] De iudiciis synodalibus cf. *Hinschius,* V (Berlin 1895), 425 ss. *A. M. Köniqer,* Die Sendgerichte in Deutschland I (1907).

[2] Ecclesia cogit, suis poenis, principes et iudices qui nolunt brachium saeculare praestare. *Eichmann,* o. c. 12, 89, 111 ss.

[3] Prima vice a Greg. VII, 1076.

[4] Innoc. III in c. 20, X. 5, 40 ambitum censurarum determinavit.

[5] *Hashagen,* Zur Charakteristik der geistl. Gerichtsbarkeit vornehmlich im späteren Mittelalter, in Z. der Savigny-St. für Rg. Kan. Abt. VI, 205 ss.; *Eichmann,* Der recursus ab abusu, Breslau 1903, 24 ss., 34 ss., 69 ss.

[6] In Italia a.4 l. 9 apr. 1850 et a. 17 l. 13 maii 1871 (cf. *Calisse,* Diritto ecclesiastico,[2] Firenze s. a., p. 60); in Austria §§ 19 et 27 l. 7 maii 1874 (cf. *Gross,* Lehrbuch des kathol. Kirchenrechtes,[5] Wien 1907, 354 s.); in Germania variae leges, quae tamen cum austriaca conveniebant. (cf. *Hollweck,* XXXVII ss.) A fortiori nunc, separata Ecclesia a statu.

Tria, igitur, elementa concurrant necesse est: *a)* materiale seu *obiectivum* (corpus delicti); *b)* morale seu *subiectivum* (intentio criminosa); *c) iuridicum,* videlicet lex quae poenam statuit.

Principium moderni iuris poenalis: *nullum crimen, nulla poena sine lege*[1] est nunc in C. receptum. Non ex intriseca necessitate sed ex studio severioris iustitiae. Nullimode enim repugnat ut princeps ecclesiasticus, qui integram et indivisam potestatem habet, punire valeat actionem ordinem publicum perturbantem, etsi nulla praevia sanctione sit interdicta. Id profecto practice, *pro regula*, non convenit et arbitrio viam aperit, in casibus peculiaribus autem ei haec facultas reservatur «si scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat»[2]. Cum tamen agatur de *exceptione*, eo magis in odiosis, stricte usurpanda est.

At elementum iuridicum delicti legem universalem non requirit omnino. Sufficit etiam *lex particularis* aut singularis, imo *praeceptum* iurisdictionale vel monitio canonica, comminatione poenae adiecta.[3]

Aliud igitur est *delictum,* aliud *peccatum.* Hoc multo latius patet. Primum est in ordine *iuridico*, alterum in ordine *morali.* Delictum Ecclesia coercet in *foro externo,* peccata divinae reservat ultioni vel in *foro interno* remittit. Omnia autem peccata, etsi publica, auctoritate sociali punire neque possibilis neque prudens res esset.[4]

3. Species et gravitas[5]. «Qualitas delicti desumenda est ex obiecto legis» violatae; adhibito hoc criterio variae classes et species in titulis C. distinguuntur. Matrimonium mixtum inire coram ministro acatholico delictum est contra fidem, sine dispensatione delictum in susceptione sacramenti.[6]

Gravitas vero, *ontologice* spectata, dimetitur ex maiore vel minore dolo, quatenus is inesse praesumitur, ex damno quod delictum infert sive iuri tertii sive imprimis bono sociali, *praecipue* tamen ex gravitate legis laesae; quae quidem, in vicissitudine temporum, hominum et morum, de

---

[1] cf. CI aa. 1 et 2; CGa aa. 1 et 4; CA a. IV; CG § 2; etiam can. 6, 5. Neque posterior lex poenalis aliquid praestat quia «non agit retro» cf. can. 10.

[2] can. 2222, § 1, cf. *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 8 de r. Quam opportuna sit haec facultas bene ostendit *Hinschius,* V, 906 s. — Ex dictis *controversia* circa necessitatem *elementi iuridici* ad constituendum delictum ecclesiasticum affirmative soluta est. Nihil amplius obstat quominus delictum definiatur: «externa *legis poenalis violatio* dolo malo facta», uti a pluribus hucusque fiebat (*D'Annibale,* Summula th. mor.[5] I (Romae 1908) 296; *Hollweck,* § 1). Attamen ante C. haec necessitas ex fontibus iuris probari non poterat. *Kahn,* Étude sur le délit et la peine en droit canon, Paris-Nancy 1898, 33 ss.; *Lega,* De delictis et poenis,[2] Romae 1910, n. 20.

[3] can. 2195, § 2.

[4] Non omnes iuris interpretes distinctionem inter delictum et peccatum accurate tenuerunt. Est tamen fundamentalis et iam in antiquissimis fontibus innuitur, saec. IV expresse enunciatur. cf. *Hinschius,* IV, 744; *Kahn,* 13 ss.

[5] can. 2196.

[6] cf tit. 11, can. 2319; tit. 16, can. 2375.

eadem re varia esse potest, et ideo generatim ex mensura adiectae poenae aestimanda est.[1]

Ceterum ius nostrum ignorat distributionem delictorum iuxta eorum gravitatem. Moderna distinctio in *crimina, delicta, transgressiones* neque in antiquis fontibus neque in C. invenitur.[2] Nomina quidem occurrunt, sed cum aliis multis[3] promiscue adhibentur: nunc constanter usurpatur terminus *delictum*.[4]

4. Divisio. *a)* Delictum aut *publicum* aut *notorium* aut *occultum* esse potest. *Publicum,* sensu specifico, censetur «si iam divulgatum est, aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri». Supponitur ergo aliorum *notitia,* vel actu vel proxime existens in tali ambitu, ut communis futura esse probabiliter existimetur. *Notorium* publico aliquid superaddit, et est eiusmodi vel *notorietate iuris*, si de delicto constat per sententiam iudicis competentis[5] quae in rem iudicatam transierit aut per confessionem rei in iudicio, vel *notorietate facti* si crimen est publicum *et* «in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit», aliis verbis si tum *actio* tum *intentio* mala ita aperte coram populo est prolata, ut de utroque elemento delicti, obiectivo et subiectivo, ne levi quidem dubio locus sit.[6] *Occultum* est negatio publici. Unde licet facinus probari possit in iudicio (*manifestum*) vel de eo fama currat (*famosum*), occultum habetur si ab omnibus fere ignoratur nec periculum subest ne proxime in eorum notitiam deveniat. Et, quousque delictum ipsum latet, *occultum materialiter* dicimus, si de dolo tantum non liquet *occultum formaliter*.[7] Delicta occulta non cadunt sub criminali iudicio.[8]

b) Porro crimina vel mere *ecclesiastica* vel *civila* vel *mixta* dicuntur. Illa sacrae reipublicae unice ordinem laedunt, ista temporalis,

---

[1] *Lega*, 34. Alia est gravitas *subiectiva*. cf. n. 12.

[2] CI a. 11 (delicta et transgressiones); CGa a. 1 (crimina, delicta, transgr.); CA §§ 1 ss. (crimina), §§ 233 ss. (delicta et transgressiones); CG § 1 eadem distinctio ex gravitate poenae. Ex eodem principio ut crimina et delicta in iure canonico distiguerentur proposuit *Hollweck*, § 2, itidem *Lega*, 19 *delicta* et *trangressiones*, innixus fundamento satis arbitrario.

[3] Crimen, delictum, scelus, excessus, flagitium, peccatum. — Eadem varietas iam in iure Romano. *Ferrini*, Diritto penale romano, Milano 1899, 35.

[4] Unica exceptio in rubrica tit. 15 «de *crimine* falsi», sine ulla speciali significatione (cf. can. 2360, § 1 et can. 2362).

[5] Regulariter in foro ecclesiastico, at non excluditur civile si *et* in materiam *et* in personas competens sit.

[6] Cum verborum significationes a C. auctoritative tradantur et limitentur, non est *notorium* censendum delictum sub oculis superioris extra iudicium commissum, si non accedit publicitas; eo minus delictum de quo constat ex actis publicis. Utrumque affirmat *Hollweck*, § 5. cf. *Noldin*, Summa th. mor. De poenis,[9] Oeniponte 1911, n. 10, cui insuper idem est publicum ac notorium.

[7] can. 2197.

[8] can. 1933, § 1. Non manent vero impunita, can. 2147, § 2, n. 4; can. 2157; can. 2190-2192.

haec utriusque. Unde etiam competentia poenalis: *ecclesiastica* delicta sola Ecclesia prosequitur, licet status non prohibeatur sanctionem accessoriam adiungere; *civilia* respublica coercet, iure proprio, nisi commissa sint a clericis, et Ecclesia de eis rationem habet in foro interno dumtaxat; *mixta* theoretice tum Ecclesiae tum civilis reipublicae coercitioni obnoxia sunt; attamen hodie iudex ecclesiasticus regulariter non procedit cum reus laicus est et civilis magistratus, in reum animadvertens, publico bono satis consulit.[1]

Ius requirendi auxilium *brachii saecularis,* quo praeterito aevo tam late usa est, Ecclesia hodiedum sibi vindicat (can. 2198); *de facto* in plerisque regionibus illud non obtinet, etiam in reliquis praefert *suis* mediis poenales sententias executioni mandare. Vicissim status de delictis ecclesiasticis parum curat. Hinc pene *perfecta separatio* utriusque fori, quae est nota moderni iuris.

II. DE ELEMENTO SUBIECTIVO DELICTI

5. Imputabilitas. Nullum delictum sine culpa: *iuridica imputabilitas* supponit imputabilitatem moralem. Itaque solus homo[2] *intelligens* et *liber* potest scelus committere, committit si legem transgreditur animo delinquendi. En *elementum subiectivum:* quod si late accipitur, et dolum complectitur et culpam (iuridicam).[3] Haec autem verius quasi-delictum tantum fundat; ad delictum requiritur *dolus* i. e. «deliberata voluntas violandi legem»[4], quae tamen posita externa legis violatione, *praesumitur*, donec contrarium probetur.[5]

Potest vero esse maior vel minor, prout actus moralitas in suo fonte, intellectu et voluntate, *augetur* vel *minuitur;* quin imo potest interdum penitus *tolli.* Idem de culpa dicas.

Controversia, an *persona moralis* capax sit delicti canonici et poenae, sane in ipsa dispositione legum, quibus — antiquo iure et novo[6] — eiusmodi poenae sanciuntur, suam solutionem habet. At concedendum est poenas eas esse opor-

---

[1] can. 2198; can. 1933, § 3. Tamen actor, qui causam mixti fori a iudice ecclesiastico praeoccupatam ad forum saeculare defert, puniri potest (can. 2222) et amittit ius agendi in eadem causa (can. 1554).

[2] Si medio aevo (et usque ad saec. XVII) poenae contra animalia adhibentur (etiam in foro civili) hoc causis practicis (purificationis, intimidationis, ordinis publici) tribuendum est. *Meyer,* Lehrbuch des d. Strafrechtes,[6] Leipzig 1907, 120; *Kahn,* 36 s.

[3] can. 2199.

[4] Alius est ergo *dolus* qui constituit fundamentum imputabilitatis *criminalis,* alius qui in *re civili* fundat actionem vel exceptionem. cf. can. 1684-1686; *Ferrini,* 78 ss.

[5] can. 2200.

[6] can. 2255, § 2; can. 2274, § 1 *interdictum* «si communitas seu collegium *delictum perpetraverit*»; can. 2285, § 1 *suspensio* ex eadem causa; can. 2291, n. 1; can. 2391, § 1 privatio iuris eligendi. Rationes v. in *Wernz,* Ius Decretalium, VI (Prati 1913) 24.

tere, quae universitatem magis quam singula membra feriant. Ceterum hae poenae non sunt ignotae etiam in legibus civilibus.[1]

6. Quae in imputabilitatem influunt. — I. Ex parte intellectus. *a) Defectus usus rationis* (can. 2201). Infantes et amentes ipsa *personalitate* poenali carent, ideo delicti sunt incapaces. *Amentia* iudicio peritorum est aestimanda, reiectis tamen modernis quorumdam theoriis, qui omnes delinquentes tanquam mente captos considerant. Valde dubitandum est etiam de imputabilitate eorum qui *lucida intervalla* quandoque habent aut qui in aliquibus rebus insaniunt, in ceteris recte ratiocinantur (dementes, *monomani*). Psychiatri fere omnes docent *illos* deminutum dumtaxat non interruptum morbum pati, *hos* ita esse in intellectu perturbatos ut nusquam satis constet de eiusdem recto usu.[2] C. pro eis *praesumptionem* statuit.[3]

Ebrius personalitatem quidem habet, non semper autem eandem *imputabilitatem*. Integra haec est, si ebrietas apposite ad delictum patrandum vel excusandum quaesita est. Habetur, enim, actio libera in causa. Si vero omnino *involuntarie* quis inebriatus delictum committit innoxius est, et patet; si quidem *sciens volens* sed delictum non praevidens item vero dolo caret, non tamen noxa, et affligi potest minore poena. Haec omnia in hypothesi ebrietatis *perfectae*, quae usum rationis adimit ex toto, si *partialis* est et mentem *obnubilat tantum,* non nisi ut causa culpam minuens allegari poterit.[4]

Eadem dicas de somno, noctambulismo, hypnotismo,[5] delirio febrili et similibus.

Difficilius interdum est dolum determinare in iis qui *debilitate mentis* laborant. Ut puta sunt surdo-muti, fatui, quidam psycastenici, hysterici, ideis obsessivis oppressi.[6] Lex normam dat generalem: eos esse imputabilitatis, licet, deminutae, capaces; iudex vero singulos casus perpendet et aequa lance librabit.[7]

---

[1] Similes poenas in iure Romano occurentes *Ferrini,* 125 ss. explicat per exercitium *coercitionis.* At in iure nostro non viget distinctio inter poenitionem et coercitionem. — In moderno iure gallico, anglo-americano, helvetico personae morales plectuntur multis pecuniariis. *Meyer,* 121.

[2] At non sunt credendi qui narrant de *impulsibus irresistibilibus* ad determinatum crimen (pyromania, cleptomania, nymphomania etc. «moral insanity» insania moralis) clara mente manente; hae non sunt nisi passiones, quae domandae sunt. cf. *Lammasch,* Grundriß des Strafrechts,[4] Leipzig 1911, 25; *Meyer,* 128; *Lega,* n. 40.

[3] CI aa. 46-47, a. 53 (pueri usque ad IX a. completum); in Gallia l. 22 iul. 1912, a. 1 (usque ad 13 a.) et Cp a. 64; CA § 2a, b, d, § 237 (usque ad X a. completum); CG §§ 51, 55 (pueri usque ad XII a. compl.).

[4] Ita etiam CI a. 48 (fere ad verbum = can. 2201, § 3); CA §§ 2c, 23[6], 523; CG § 22 (iuxta commentatores). cf. *Manzini,* Istituzioni di diritto penale, Torino 1913, 70.

[5] *Lega,* n. 38.

[6] De iis cf. *Eymieu,* L'ossessione e lo scrupolo, Roma 1913, 169-183.

[7] CI aa. 57-58; CA § 46, a; CG § 58.

b) Passionis impetus intensiorem quidem reddit actum voluntatis, at mentem perturbat. Quare, praecipue si iusta est, passio imputabilitatem minuit, nisi deliberate sit ad delinquendum excitata vel nutrita. Attamen penitus non tollit, nisi ita vehemens sit ut usum rationis *actu* revera omnino impediat (can. 2206).[1]

c) Ignorantia, cui aequiparantur inadvertentia et error (can. 2202). Principium est in iure: «Ignorantia facti non iuris excusat». At quod, quavis ex causa, peccatum non est Ecclesia non potest punire. Unde etiam *legis* ignorantia, dummodo inculpabilis sit ideoque imputationem moralem excludens, ab imputabilitate criminali liberat.[2] Non item ignorantia solius *poenae*, licet eam aliquantum minuat, quia supponit in violatore minorem legis contemptum. A fortiori excusat error inculpabilis *facti*.

Hac regula facile solvuntur casus si agitur de *foro interno* et de poenis quae in illo tantum in quaestionem veniunt.[3] At iudex, in *foro externo*, nequit credere simplici rei affirmationi, secus omnes essent innocentes. Itaque utitur *praesumptione:* quae *stat contra* asserentem ignorantiam legis, aut poenae, aut facti proprii, aut facti alieni notorii; *militat pro* affirmante ignorantiam circa factum alienum non notorium (can. 16, § 2). Praesumptio cedit veritati, validis argumentis demonstratae.

Si ignorantia est culpabilis exulat quidem *dolus*, at non imputabilitas actus antiiuridici, iuxta maiorem minoremve *culpae* gravitatem (can. 2199). De qua re sermo redibit, quia C. continet normas speciales (can. 2229).

7. Quae in imputabilitatem influunt. — II. Ex parte voluntatis. *a)* «*Vis physica* quae omnem adimit agendi facultatem, delictum prorsus excludit» (can. 2205, § 1). Deest voluntarium, sive in actione sive in omissione.

b) Metus, etiam gravis, per se imputabilitatem non tollit. Unde si agatur de actu *intrinsece* malo aut in huiusmodi adiunctis ut bonum publicum Ecclesiae *grave detrimentum* patiatur (contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis, animarum damnum) lex est omnino servanda et si violetur habemus delictum, licet metu attenuatum. Si vero agitur de actu *malo quia prohibitum* (lege humana) et supradicta adiuncta non concurrant, ius nostrum transgressorem excusat (can. 2205). Quo in

---

[1] CI a. 51; CGa a. 66; CA § 2c; CG § 51.

[2] Sufficit ut absit peccatum *grave*, can. 2218, § 2. Specialis iuris poenalis Ecclesiae praerogativa semper fuit ad *elementum morale* in delictis maxime attendere. Qua in re exemplo praeivit moderno iuri civitatum. *Hohenlohe*, Beiträge zum Einfluß des kan. R. auf Strafr. u. Prozeßr., Innsbruck 1918, 32-40. *Kahn*, 22 s., 131 ss. — Quaestio an ignorantia legis excuset late hodie inter criminalistas agitatur. CG eam relinquit apertam, CA § 3, qui rigide negat, ab interpretibus recte reprehenditur (*Lammasch*, 33), at idem habet CI a. 44. Doctrina principio canonico videtur inclinare. cf. *Meyer*, 133 s. An Romanos excusarit, ambigitur. *Ferrini*, 144-152.

[3] Uti saepe censurae latae sententiae.

casu tamen deficere potius elementum *obiectivum* quam subiectivum diceres.

c) Necessitas, quae datur in conflictu inter diversa officia vel officium et notabile interesse, eisdem criteriis ac metus iudicanda est. Ad necessitatem vel metum reducendum est etiam *praeceptum* superioris.

Explicatio iuridica impunitatis in *necessitate*, quam afferunt moderni poenalistae,[1] concordat cum ea quae iampridem est in iure canonico traditionalis: lex humana non obligat cum gravi incommodo, quum bonum publicum non periclitatur.[2] At probe notandum est *discrimen* inter ius civitatis, quod bona temporalia, natura sua, tuetur, et ius canonicum, quod salutem animarum praeprimis promovere debet.[3]

8. Quasi-delictum. Deficiente *dolo*, imputabilitas pendere potest ex *culpa.* Quae in iure[4] est *factum inconsultum quo alteri nocetur iniuste.* Inconsultum dicitur, quia defuit quidem intentio deliberata nocendi (dolus), at eius exitus facile a diligente praevideri *potuisset,* et in hoc distinguitur a *casu,* qui praevideri vel cui praeviso occurri nequit, et proinde a qualibet imputabilitate eximit (can. 2203, § 2). Et si exitus revera praevisus *est*, ac nihilominus cautiones ad eum evitandum omissae, culpa iam est proxima dolo (c. *lata*).

Igitur culpa distinguitur a dolo praecise in eo, quod effectus antiiuridicus non intenditur sed permittitur (conscie vel inconscie), cum praevideri *potest* et *debet* secuturus ex omissione debitae diligentiae. Lex obligat non modo ad devitandam dolosam ipsius violationem, sed etiam ad curam adhibendam ne ex nostra actione aut omissione idem damnum contra ius tertii vel bonum publicum exurgat. Qui hoc negligit innoxius non est, eiusque transgressio vocatur *quasi-delictum.*[5]

Culpa est *lata* vel *levis* vel *levissima.*[6] Haec non attenditur, nisi speciali lege cautum sit; levis et lata impunitae non manent, at pro diverso gradu maior minorve est *imputabilitas,* a prudenti iudice ex ad-

---

[1] De iure Romano v. *Ferrini,* 200 ss.; de modernis doctrinis *Meyer,* 232; *Lammasch,* 49; *Manzini,* 75.

[2] *Kahn,* 39 ss.

[3] *Lega,* n. 39. — CGa statum necessitatis non agnoscit, ideoque ablationem rei alienae ad salvandam vitam ut furtum punit; CA § 2, g minus feliciter loquitur de «vi irresistibili»; melius CI a. 49, 3° et CG §§ 52 et 54.

[4] Itaque distinguenda a *culpa theologica,* quamvis in iure criminali *canonico* illa semper supponatur (can. 2218, § 2).

[5] Moderni loquuntur de *delicto culposo.*

[6] Egregie, more suo, *D'Annibale* I, 297: «Et metitur, quasi e contrario, ex diligentia quam paterfamilias vel prudentissimus, vel solers, vel etiam desidiosus adhibet suis rebus. Itaque illius diligentiae deesse *levissima* culpa est, istius *levis,* huius *lata.* Levissima, e. g., culpa eius est qui, e curru aliquid proiiciens, prope stantem occidit, si priusquam iaceret circumspexit et conclamavit; levis eius qui circumspexit; lata eius qui nec conclamavit nec circumspexit. Haec generaliter; nam interdum culpa aestimari debet ex re, opere, negotio quod agitur; et quae in re modica levissima culpa est, in gravi fit levis, in gravissima lata.»

iunctis determinanda, semper tamen minor quam in eodem delicto doloso (c. c. § 1).

Imputabilitas ex *culpa,* vel rarissime vel numquam in iure Romano admissa,[1] sub influxu principiorum theologicorum in legibus medii aevi paulatim apparet.[2] Moderni codices in *paucis determinatis* criminibus et in plerisque transgressionibus eam puniunt, C. noster, ut antiquiora iura, in *omnibus* delictis casum culpae praevidet.

Fines inter dolum et culpam non semper, nec ab omnibus, accurate signantur. *Dolus* est ex. gr. si quis, ut processum obtineat, circumstantiam iuramento affirmat, nesciens utrum vera sit at paratus periurare si eam falsam cognosceret (d. *eventualis*); *dolus* est si hominem in flumen proiicis, volens celare quem putas occidisse, at revera ille demum moritur suffocatus (d. *generalis*); e contra *culpa* est tantum homicidii, si quis vult alium ferire aut percutere, at malo fato mors sequitur *(delictum praeterintentionale).*[3]

9. Delicta minorum. In foro ecclesiastico capacitas *peccandi* praesumitur expleto septennio (can. 88, § 3). Ideo theoretice etiam *delinquendi,* et proinde soli infantes a quolibet crimine excusantur. Neque ulla est *generalis* lex positiva, quae indirecte in *minoribus* excludat imputabilitatem *iuridicam* infra certam aetatem, quatenus eos a poenis omnibus eximat.[4] *Impuberes* non incurrunt quidem censuras latae sententiae, et graviores quoque poenae vindicativae eis non sunt inferendae (can. 2230), at in eodem canone puberes[5] criminaliter imputabiles expresse declarantur.

Itaque minor aetas[6] solummodo ut *causa minuens* est accipienda, eiusque ponderatio arbitrio iudicis remittitur, qui profecto eo magis ipsius rationem habebit quo reus ad infantiam propius accedit (can. 2204). Consulto ius nostrum[7] liberam iudicantis aestimationem non limitat, ut tum praecocis malitiae castigatio tum aequa infirmitatis indulgentia possibilis sit. Irregularitates ex delicto omnes tenent (can. 986).

Nunc resecatae sunt omnes controversiae et incertitudines iuris antiqui, ex incertitudinibus iuris Romani,[8] quod canonistae receperant, derivatae. *Impu-*

[1] Utrum absolute reiecta necne, est controversia. *Ferrini,* 98-124.

[2] *Hohenlohe,* 34 ss. Jura Germanica, e contra, culpam *dolo* passim aequiparabant. *Pertile,* Storia del diritto ital.[5] II (Milano 1892) 58 ss.

[3] Aliter CA § 1 in fine et § 140 (dolus *indirectus*), cf. CI aa. 368 et 374.

[4] CI aa. 54-56 (impunitas usque ad 9 a., inter 9-18 poenae minores etiam in domo correctionis luendae, inter 18-21 poenae deminutae); in Gallia specialis l. 22 iul. 1912 et C aa, 66-69 statuunt pueros infra 13 a. correptione tantum esse cohibendos, intra 13 et 18 a. dimidiatas poenas incurrere; CA § 237 et §§ 269-273 (usque ad 10 a. impunitas, inter 10-14 crimen punitur ut transgressio, delictum aut transgressio correctione domestica); CG §§ 55-57 (impunitas usque ad 12 a., inter 12-18 imputabilitas est perpendenda in singulis casibus, poenae sunt attenuatae). In modernis civitatibus Instituta sunt tribunalia pro pueris.

[5] Pueri post 14 a., puellae post 12 a. (can. 88, § 2). Hucusque omnes, in criminalibus, 14 anno completo.

[6] Usque ad 21 a. completum (can. 88, § 1). Hucusque usque ad 25.

[7] Ordinatur enim praecipue ad finem supernaturalem.

[8] *Ferrini,* 128 ss.

beres immunes hactenus fuisse a poenis, praesertim latae sententiae sive omnino,[1] sive ex praesumptione iuris donec dolus probaretur,[2] affirmabant quidem complures, at sine textu.[3]

III. DE ELEMENTO OBIECTIVO DELICTI

10. Damnum. Alterum elementum delicti est detrimentum et perturbatio ordinis socialis: *damnum.*[4] Non enim omnia quae moraliter mala sunt, nec quae ius aliquod laedunt, puniuntur, sed ea tantum quae legislator bono publico periculosa censet.

Unde primum requiritur actio *externa.* «Cogitationis poenam nemo patitur»[5]. At nihili refert utrum sit *commissio* an *omissio,* dummodo haec circa rem iure debitam versetur. Deinde necesse est ut obiectum sit *crimini aptum:* non est reus homicidii qui, animo occidendi, hominem mortuum percutit. Neque poenaliter imputabilis est qui putat se committere in legem, quae de facto non viget *(delictum putativum).*

Demum *nexus causalis* inter actionem et effectum anti-iuridicum intercedat oportet. Qui puellam corrumpit non tenetur poena can. 2350, § 1 (in procurantes abortum), si ipsa deinde conceptum expellit. Concubitus est *conditio* non causa delicti.[6]

11. Elementum obiectivum deficit: *a)* Si quis *utitur iure suo.* «Iuris enim executio non habet iniuriam»,[7] quia ordo iuridicus nequit includere contradictionem. Exemptus a iudice *incompetenti* citatus impune non comparet (cf. can. 1845, § 1). *Pater* potest natos ad *correptionem* verberare, *vigil* ad fures cohibendos arma adhibere. Et nisi modum excedant innoxii sunt. Imo ipsa *vis privata* ad ius suum extorquendum, etsi civiliter interdicta, criminaliter non semper est imputabilis.

b) Si lex *ius non tuetur.* Degradatum clericum percutere non est crimen sacrilegii (can. 2343, § 4 in relat. ad can. 213 et 2305).

c) Si quis *renuntiat iuri suo,* valens hoc facere, et non obstet bonum publicum. «Nulla iniuria est, quae in volentem fiat».[8] At delictum est trahere consentientem clericum ad forum laicum (can. 2341

---

[1] *D'Annibale,* I, 318, 325; *Hilarius a Sexten,* Tractatus de censuris, Moguntiae 1898, 17.

[2] *Lega,* 37; *Hinschius,* V, 920; *Thesaurus,* De poenis ecclesiasticis, Patavii 1761, P. I, c. 17 (p. 13).

[3] cf. *Hollweck,* § 12; *Wernz,* VI, 20.

[4] Romani dicebant *iniuriam* i. e. factum contra ius cf. l. 5, § 1, D. 9, 2.

[5] c. 14, d. 1 de poen. (ex l. 18, D. 48, 19); cf. CA § 11.

[6] Interdum haud facile est causalem nexum statuere. Complures theoriae et regulae in doctrina et praxi iudiciali usurpantur, et controversia haec est inter maxime agitatas. cf. *Meyer,* 155 ss.; *Lammasch,* 34 ss.

[7] l. 13, D. 47, 10.

[8] l. 1, § 5, D. 47, 10. Unde «et si credat aliquis invito domino se rem contrectare, domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri» (§ 8, J. 4, 1).

in relat. ad can. 123),[1] adulterare favente marito,[2] se occidere aut mutilare.[3]

d) In *legitima tutela* contra iniustum aggressorem (can. 2205, § 4). Iam de metu et necessitate animadvertimus esse elementum obiectivum quod refert (cf. n. 7, b). Adhuc magis hic. Qui aggressorem occidit, si ex odio agat, contrahit plenam imputabilitatem *moralem* homicidii non tamen *criminalem.*[4] Igitur non absentia doli, sed iuris naturalis et positivi dispositio («vim vi repellere licet») adimit actioni characterem antiiuridicum. Ex quo etiam limites: legitima esse debet et debito servato moderamine exercita. *Legitima:* unde si iniuria imminens non est, aut iam propulsari nequit («ex intervallo»), aut non apte vi physica (quia contra bona incorporalia) damnum offendenti illatum erit vindicta non defensio. *Servato moderamine:* si plaga sufficit non est danda mors. Nec excusatur qui potuisset sibi consulere fuga, vel quo alio modo sine periculo.[5] Licet tamen tueri non solum *vitam* sed et pudicitiam, libertatem, bona magni valoris, quorum iactura sit irreparabilis, atque non propria tantum sed et aliorum.[6]

Excessus tutelae aut dolo aut culpa fit. In utroque casu habetur imputabilitas, minor tamen ac in ordinario delicto doloso aut culposo. Similiter, proportione servata, aestimanda est causa *provocationis,* quae subsumi etiam posset sub norma can. 2206 (impetus passionis).

12. Gradus delicti est eius imputabilitas in *concreto*; distinguitur proinde a quantitate, quae eiusdem est mensura *abstracta* et *ontologica* (n. 3). Quam magnam partem in gradu determinando habeat elementum subiectivum elucet. Ad obiectivum quod attinet, praeter alia (quae ex praemissis sequuntur, ex. gr. gravitas damni, scandali etc.),[7] *adiuncta aggravantia* sunt (can. 2207):

a) Maior dignitas personae quae delictum committit, aut quae delicto offenditur.[8]

---

[1] cf. R. 15 mart. 1910 (dec. XI, nn. 8-9)

[2] «Lenocinium igitur mariti ipsum onerat non mulierem excusat» (l. 2, § 4, D. 48, 5) Aliter CI a. 357, 1 cf. CA § 511, CG § 181.

[3] can. 2350, § 2, can. 985, n. 5. Moderno iure criminali civitatum (secus ac iure Romano) suicidium atque mutilatio non est crimen. In adsignanda ratione discrepant poenalistae.

[4] cf. *D'Annibale,* I, 154, not. 18 et 19, 423 not. 16. Ideo non recte *Wernz,* VI, 39; «ex parte subiecti aliud non debet intendi quam aggressionem repellere». Quod valet pro theologia morali non pro iure criminali.

[5] Quae limitatio non viget in iure civitatum. CI a. 49, 2 (*Manzini,* 74-75); CGa aa. 328-329; CA §§ 2 g et 335 (cf. *Lammasch,* 51); CG § 53 (*Meyer,* 230).

[6] *München,* Das kanonische Gerichtsverfahren und Strafrecht, II (Köln 1866) 51 ss.

[7] Saepe adiuncta aggravantia iam a lege sunt considerata et *mutant titulum* delicti: furtum in coemeterio (can. 2328), usurpatio rei ecclesiasticae (can. 2345, 2346), violatio secreti sacramentalis (can. 2369) etc.

[8] Principium a iure Romano admissum (cf. *Ferrini,* 316 ss.), in modernis legibus contra (si excipias *certa* delicta) non receptum.

b) Abusus auctoritatis vel officii ad delictum patrandum.[1]

c) Recidiva (can. 2208). Quae sensu proprio est iteratio delicti eiusdem generis, post condemnationem (r. *specifica*); at, ceteris paribus, magis culpabilis censetur etiam ille qui pluries deliquit diverso in genere (r. *generica*).

Iure Romano recidiva videtur admissa tantum specifica et in quibusdam criminibus; ius canonicum ad omnia delicta eam extendit, genericam autem non habuit.[2] Modernae leges inclinant ad puniendam etiam recidivam genericam.[3] Cum recidiva non est confundendus concursus delictorum, de quo n. 22.

IV. DE CONCURSU IN DELICTUM

13. Notio iuridica. Delicta aliqua sunt, quibus participatio duarum (aut plurium) personarum *vel* naturale *vel* essentiale elementum est: *naturale* si crimen habetur etiam altera persona passive vel coacte participante,[4] *essentiale* si utraque active in delictum, ut sit, concurrere *debet*[5]. In neutro casu de concursu, sensu proprio, loquimur; in primo est delictum unius, in altero delictum pluribus *commune,* cuius unaquaeque pars est eodem modo culpabilis.[6]

At alia delicta agentium pluralitatem necessario non requirunt (ex. gr. furtum). Iam vero si a pluribus, communi consilio,[7] committuntur, exoritur quaestio iuridica de singulorum imputabilitate: quaestio de *concursu.* Unde concursus exulat: *a)* Si actio unius est mere *materialis.*[8] At qui dolose opera innocentis utitur ad delinquendum plenam imputabilitatem contrahit (cf. can. 2230). Ideoque dicendum est dari posse concursum etiam in delicto culposo.[9] *b)* Si quis delictum dumtaxat *non impedit*, cum posset, nisi iuridica obligatione ad hoc teneatur.[10] *c)* Si deficit *nexus causalis,* saltem moralis. Quare concursus non est delicti desiderium manifestare, illud laudare, ratum habere, delinquentem occultare aut receptare et similia, nisi ex pacto, ante crimen inito, fiant. Haec autem *nova delicta* constituere possunt, si expressa lege plectantur.[11]

---

[1] Praeter casus *expresse* praevisos: can. 2339, 2352, 2368, 2404-2414.

[2] *Hinschius,* V, 948 ss.; *Kahn,* 145.

[3] In Anglia, Gallia (CGa aa. 56-58), Italia (CI aa. 80-84, praeterea recidiva specifica). Non autem in CA et CG (cf. *Meyer,* 332 s.; *Lammasch,* 61),

[4] ex. gr. raptus violentiae, can. 2353.

[5] ex. gr. duellum, can. 2351; adulterium, can. 2357, § 2.

[6] can. 2209, § 2. Canon loquitur de «delicto, quod sua natura complicem postulat».

[7] Secus si *seorsum* velut in rixa: tum «ictus uniuscuiusque contemplari oportet».

[8] Ut pharmacopolae qui venena vendit.

[9] Negat *Wernz,* VI, 42, at attento can. 2230, non videtur recte, dummodo dolus ex. gr. in instigante sit. Admittitur in iure poenali italico (*Manzini,* 88), gallico (aa. 59 et 60) et austriaco (*Lammasch,* 44). Ius germ. punit concursum dolosum tantum.

[10] can. 2209, § 6. Ita etiam in iure ital. et gall. (seclusis specialibus casibus). Severius CA § 212, qui dolose non impedientem ut complicem habet.

[11] can. 2209, § 7. cf. can. 2351, § 1 (duellum spectantes). *D'Annibale,* I, 302 ss. CI a. 64, 1; CGa a. 60; CA §§ 6, 214, 217, 220; CG §§ 257-262.

Diversae personae vario modo in idem crimen concurrere possunt. Apte, iuxta C., in duas classes dividuntur: reos *principales* (auctores physicos vel morales) et *accessorios* (complices).[1]

Doctrina de concursu, iam in iure Romano valde implexa,[2] in iure populorum Germanicorum imperfecta, a iure canonico, quod culpabilitatem auctorum et complicum *moralium* imprimis in lucem posuit, et a civilistis italicis medii-aevi evoluta est,[3] quin tamen numeris omnibus absolutum systema obtineretur. Inde complures questiones et dubia, quae in interpretatione textuum iuris antiqui exurgunt.[4] Praecipue a poenis *latae sententiae* veteres liberos esse contendebant complices non expresse in lege nominatos. Etiam moderni poenalistae et codices in diversas abeunt sententias et sanctiones. Nobis C. simplices et claras nunc normas tradit.

14. Legis dispositio. 1. Conrei, qui simul *physice* in delictum concurrunt eadem imputabilitate eademque poena tenentur (can. 2209, § 1 et can. 2230). Etiam auctores *morales,* imprimis mandans et complices qui quovis modo in delicto participaverunt, illis aequiparantur, nulla facta distinctione inter poenas latae et ferendae sententiae, *si* delictum sine eorum opera *commissum non fuisset* (can. cit. § 3). Si delictum locum non habuit de concursu sermo esse nequit, et palam est, at mandatum vel provocatio inefficax puniri potest ut conatus.[5] *Personales circumstantiae*, aggravantes vel minuentes, illi soli complicum nocent aut favent, in quo verificantur.[6] A fortiori idem dicendum est de circumstantiis *materialibus* non praevisis.

2. Concursus qui *facilius tantum* reddidit delictum, quod alias quoque commissum fuisset, affert minorem imputabilitatem, et, deficiente speciali lege, castigatur poena arbitraria (can. 2231).

3. *Retractatio* unius complicis, si quidem plena, aufert prorsus imputabilitatem; si imperfecta liberat a poena delicti sed non ab alia minore. Nihil interest an executor delictum deinde patraverit, necne.

Omnes rei *principales* (sub. 1) et *complices* in delicto *communi* «obligatione tenentur *in solidum* expensas et damna resarciendi quae ex

---

[1] Magna est, apud DD., in distinguendis concurrentibus discrepantia. Ius Rom. agnoscebat auctores, participes, conscios, at alia quoque nomina occurrunt. CI distinguit conreos (physicos et morales) qui eadem poena plectuntur (a. 63) et complices, qui minore (a. 64); CGa auctoribus et complicibus eandem castigationem decernit (aa. 59, 60). CA auctorem, instigatorem, complicem habet. Idem CG.

[2] *Ferrini,* 276 ss.

[3] cf. *Pertile,* V, 84–86.

[4] cf. *Wernz,* VI, 41 ss.; *Lega,* 50 ss.; *Hollweck,* § 8.

[5] can. 2212, § 3. CA § 9 auctor moralis est noxius etiamsi delictum non patretur, item si executor materialis esset alias facturus (*Lammasch,* 44). E contra ius italicum et germanicum considerant complicitatem ut *accessoriam,* et ideo postulant delictum consummatum aut saltem conatum (*Manzini,* 86; *Meyer,* 189).

[6] Ita etiam CG § 50. Aliter CA § 5 ubi decisiva est, pro cunctorum imputabilitate, actio executoris. CI aa. 65-66 si circumstantiae complicibus notae sunt.

delicto quibuslibet personis obvenerint, licet a iudice pro rata damnati» (can. 2211).

Ex delicto oritur *duplex actio: a) poenalis* quae reservatur, novo iure, uni promotori iustitiae, salva facultate partis laesae in causa iniuriarum vel diffamationis praesentandi querelam (can. 1934 et 1938); *b) civilis* ad reparanda damna si violatum est ius privatum. Modus procedendi statutus est in l. IV C. Iudex criminalis, eadem sententia, qua de crimine pronunciat, potest etiam, si hoc petatur, actionem indemnitatis definire (can. 2210).

V. DE CONATU DELICTI

15. Conatus perfectus et imperfectus. Iure canonico «poena lege statuta non incurritur, nisi delictum fuerit in suo genere *perfectum* secundum proprietatem verborum legis» (can. 2228). Ad delictum autem plerumque pervenitur per actus *praeparatorios* et *executivos*. Illi, ut per se indifferentes[1], criminaliter non considerantur (nisi delictum sui generis constituant); hi «ad executionem delicti natura sua conducunt», sunt eiusdem quasi initium. Quibus positis, si nihilominus delictum non perficitur, habetur *conatus* in sensu generico.

Quod duplici modo evenire potest. *Aut* enim delictum deficit quia agens vel consilium suum deseruit vel inepta media adhibuit, et loquimur de conatu imperfecto aut simpliciter de *conatu* (sensu proprio, can. 2212, § 1).[2] *Aut* adhibita media idonea quidem erant, at ex causa voluntati delinquentis extranea,[3] effectum non sunt sortita, et dicimus conatum perfectum, seu melius *delictum frustratum* (can. cit. § 2).

Palam est conatum continere violationem ordinis socialis, ideoque impunitum manere non debere. Interdum peculiari poena in lege mulctatur et tunc est verum delictum, dummodo perfectum in ratione conatus (can. cit. § 4; cf. can. 2407). Saepius vero iuxta generalem regulam, a iure statutam, in haec imperfecta delicta est animadvertendum.

Doctrina de conatu, ut illa de concursu, nonnisi gradatim efformata est. Antiquo *iure Romano* sola crimina consummata videntur poenam meruisse, si excipias usurpationem potestatis publicae et homicidium. Demum aevo imperiali in pluribus delictis conatus plecti coepit.[4] Etiam *ius Germanicum* castigationem ad certos casus, praesertim eos qui iam perturbationem pacis continebant, limitavit. Neque *ius canonicum* completam theoriam de conatu hucusque habuit; ex

---

[1] Gladium emere.

[2] Conatus *remotus* et *proximus* ulterius distinguitur. At remotus aliis est actus praeparatorius. Ceterum conatus non in actione tantum, sed et in *omissione* consistere potest.

[3] Casu aut dexteritate illius qui crimen pati debebat etc.

[4] *Ferrini*, 241 ss. At admodum variae sunt opiniones commentatorum iuris Romani in hac provincia, inde etiam contrariae sententiae canonistarum, qui eis adhaeserunt. Textus clari et decisivi in antiquis fontibus iuris nostri non sunt. cf. *Wernz*, VI, 31, not. 121; *Lega*, 24.

generali principio tamen: «in poenis benignior interpretatio facienda est» atque sub influxu iuris Romani et eiusdem interpretum, iamdiu canonistae inter delictum consummatum et non consummatum distinxerunt, et huic generatim poenas arbitrarias dumtaxat statuerunt.[1] At non sine contradictione. Semper fuit schola quae conatum delicto consummato aequiparare voluit, et hodiedum quidam codices[2] hanc normam sanciunt.

16. Imputabilitas conatus. *a)* «Delicti *conatus* suam habet imputabilitatem, eo maiorem, quo magis ad consummationem accedit, quamquam minorem prae delicto consummato», et, nisi specialis lex aliter disponat, mulctatur *congrua poena,* quae a iudice, attentis circumstantiis, est dimetienda. Tamen ab omni imputabilitate liberatur qui sponte ab incepta delicti executione destiterit, si nullum ex conatu damnum aut scandalum ortum sit.[3] *b)* «*Delictum frustratum* magis culpabile est, quam simplex delicti conatus», tamen etiam sola poena arbitraria puniendum (can. 2213 et 2235). At consummatum est delictum, et ideo integra poena plectendum, si in actu consistit quem lex simul punit et irritum facit,[4] dummodo, dempto hoc vitio, nihil ei desit, quo alias iure valere potuisset.

CAPUT II

DE POENIS IN GENERE

I. SYSTEMA POENALE ECCLESIAE

17. Notio poenae. «Poena ecclesiastica est *privatio* alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti *punitionem* a legitima *auctoritate* inflicta» (can. 2215). Definitione satis innuitur novo iure poenas corporales (malum passionis) pene exulare; at quia poena in suo ambitu est limitata non ideo est in sua natura mutata. Notae essentiales poenae omnes adsunt. Etiam privatio est *malum.* Proinde *directe* nec beneficium delinquenti impensum ut se emendet, neque cautio est disciplinaris ne ulterius noceat.[5] Et quidem malum propter actum noxium *a legitima auctoritate* illatum. Denique ad aliquem *finem* ordinatum. Malum enim

---

[1] cf. *Kahn,* p. 47; *Hinschius,* V, 931 s.; *Wernz,* VI, 33.

[2] Ita CA § 8 cum interpretatione poenalistarum (*Lammasch,* 41 s.) cf. tamen § 47, a); CGa quoad crimina (a. 2), contra quoad delicta (a. 3); aliter CI aa. 61-62 et CG §§ 43-46.

[3] Poenitentia efficax. Ita CI a. 61; CG § 46; CA § 8 (indirecte).

[4] Ex. gr. can. 2338, § 1 (absolvere praesumentes ab excommunicatione reservata); can. 2356 (bigami); can. 2365, can. 2366, can. 2367, can. 2388 etc.

[5] Prima theoria (finis *emendativi*) falso tributa est iuri canonico a compluribus, ex. gr. *Schulte,* System des kath. Kirchenrechts II (Giessen 1856) 376, nec alieni videntur *Cavagnis,* I, 299 ss. et *Lega,* 11 et 66 ss. Altera est theoria modernae scholae deterministicae sive anthropologicae sive sociologicae (Lombroso, Liszt).

propter se quaeri nequit; sed iusto fine est cohonestandum. Qui finis in necessitate ordinis socialis tuendi, dum eius violatio *ultione* in perturbatorem retribuitur, eius vigor per *reactionem* societatis, in delinquente primum et in reliquis, redintegratur, adaequate continetur.[1]

Unde poenae *non sunt:* reparatio damni (can. 2210), poenae conventionales (in contractibus), amissio iuris agendi vel appellandi (can. 1847 ss; can. 1129), expensae iudiciales (can. 1908 ss.), amotio administrativa (can. 2147 ss.); *utique vero* poenae disciplinares, suspensio ex informata conscientia etc.

18. Finis poenae intrisecus et extrinsecus. Ex dictis sequitur *finem intrisecum* necessarium poenae esse restitutionem ordinis laesi, vindictam socialem (cf. can. 1952 et 1954). Ab eo nec Ecclesia potest abstrahere. Praeterea autem legislator complures alios fines *extrinsecos* potest sibi proponere: delinquentis emendationem, aliorum deterritionem, publicam securitatem (praeventionem specialem), satisfactionem offensi vel publicae opinionis, aliaque multa. Prout horum finium unus *absolute,* vel alius prae alio *relative* intenditur, aut plures conciliantur, diversa distinguuntur systemata poenalia. Ex C. dilucide apparet Ecclesiam *theoriae mixtae* adhaerere, et dum essentialis finis et naturae poenae non obliviscitur, magnum tribuere momentum praeprimis rei *emendationi,* deinde etiam exemplo in reliquorum utilitatem.[2] Qua in re ipsa salutis privatae maiorem rationem habet quam Status, utpote quae non bonum temporale sed aeternam universorum felicitatem promovere sibi proponit. Isto principio in eligendis quoque et applicandis suis poenis ducitur.

Systemata poenalia, antiqua et nova, innumera fere circumferuntur. Ad tres classes reducuntur: 1) theoriae *absolutae* (poena est imperativum categoricum, Kant; negatio negationis, Hegel; corollarium contractus socialis, Beccaria, Rousseau; necessitas religiosa, Stahl; estetica, Herbart etc.); 2. *relativae* (poena est emendatrix, deterrens, defendens, etc.); 3. *mixtae* quae cum fine retributivo et vindicativo reliquos fines utilitatis publicae et privatae coniungunt[3].

Ecclesia, licet rei emendationem vehementer optet, numquam *exclusive* theoriam relativam poenae correctivae amplexa est, ut vel ex eo patet quod etiam sceleris poenitentes castigavit.[4] Ipsae medicinales poenae non carent elemento vindicativo, et ad bonum publicum ordinantur. At vicissim ab absolutis theoriis

---

[1] *Meyer Th.,* Institutiones iuris natur. II (Friburgi 1900) n. 588 ss., *Cathrein,* Moralphilosophie,[4] II (Freiburg 1904) 648 ss., cf. etiam *Lammasch,* 1 ss. *Meyer,* Strafr., 4, 15; cf. c. 35, X. 5, 39; c. un. Extrav. com. 2, 1.

[2] *Kahn,* 53 ss.; *Wernz,* VI, 72 ss.; *Hollweck,* § 21.

[3] *Cathrein,* II, 641 ss.; *Meyer,* Strafr. 14 ss.

[4] Quod ex fontibus iam *Hinschius,* IV, 747 s., V, 123, 129 demonstravit. Ceterum omnes antiquiores canonistae elementum vindicativum poenae in lucem ponunt. cf. definitiones *Thesauri,* P. I, c. 1 et 2; *Reiffenstuel,* Ius can. univ. V (Ingolstadii 1741) t. 37, n. 2. Quomodo *Lega,* 17 ex damnatione prop. 4 syn. Pistorien. deducere possit Pium VI *dogmatice* declaravisse «poenas ecclesiasticas consistere non in propria delictorum vindicta sed potissimum in eiusdem salutaribus effectibus,» equidem non intellego.

magis adhuc est aliena. Eius *systema* poenale breviter verbis can. 2215 continetur: «ad delinquentis *correctionem* et delicti *punitionem*», eius *spiritus* simul, monito Concilii Trid. (sess. XIII, c. 1, de r.) in can. 2214, § 2 relato, exprimitur: «Meminerint Episcopi et Ordinarii se pastores non percussores esse, . . . hortando et monendo (subditos) ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur; . . . sin autem ob delicti gravitatem virga opus erit, tum cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est, ut sine asperitate *disciplina,* populis salutaris ac necessaria, *conservetur* et qui correcti fuerint *emendentur* aut, si resipiscere noluerint, ceteri salubri in eos animadversionis *exemplo,* a vitiis *deterreantur*».

19. Divisio. *a)* Quamvis in poena inferenda ceteri fines numquam excludantur, unus tamen prae aliis praecipue intenditur. Qua ratione distinguuntur poenae *medicinales*, quae imprimis ad emendationem delinquentis diriguntur *(censurae)*, poenae *vindicativae*, quae in delicti expiationem proxime ordinantur, *remedia poenalia,* quae characterem praeventivum praeseferunt et interdum *poenitentiis* complentur. Hae in absolutione a censuris imponi quoque possunt et tunc accedunt poenis vindicativis; tamen aeque ac remedia poenalia a perfectione poenae aliquatenus deficiunt (can. 2216).

b) Poena aut in ipsa lege vel praecepto taxative statuta est, et dicitur *determinata;* aut in lege generalioribus verbis exprimitur iudicem vel superiorem sive posse sive debere, pro prudenti suo arbitrio, certum delictum punire,[1] et dicitur *indeterminata.* Poenae primi generis *latae sententiae* sunt si ipso facto admissi delicti incurruntur, et ad summum sententia declaratoria indigent; *ferendae sententiae* si reum non tenent antequam speciali iudicis sententia condemnatoria inflictae sunt. Authentice constat (can. 2217, § 2) poenam intelligendam esse semper ferendae sententiae nisi expresse, vel aequivalentibus verbis,[2] dicatur eam esse latae sententiae. Cum enim haec inter odiosa odiosissima sit, stricta uti oportet interpretatione (can. 19 et can. 2219, § 1).

c) Denique distinguuntur poenae *ab iure* et *ab homine.* A iure est poena determinata, in *ipsa lege* universali (in C.) vel particulari (ut puta in synodo provinciali, dioecesana) statuta, tum latae tum ferendae sententiae. Et quidem si latae est, *a iure tantum* manet; si ferendae, post

---

[1] Ex. gr. can. 2321 suspensio ad tempus ab Ordinario definiendum, can. 2322, § 2 «pro gravitate culpae puniatur,» can. 2323 «prudenti Ordinarii arbitrio puniatur,» can. 2329 «congruis poenis puniatur,» can. 2357 «praeter alias poenas quas Ordinarius infligendas iudicaverit» (facultativas), can. 2361 «*potest* a suo Ordinario puniri,» can. 2405 «plecti poterunt» etc.

[2] «Ipso facto,» «ipso iure,» «nulla declaratione praemissa». In fontibus iuris antiqui, dubio extante, verba futuri temporis (excommunicetur etc.) poenam ferendae sententiae, praesentis (sit excommunicatus) eoque magis praeteriti (sciat se esse excommunicatum) latae sententiae demonstrant. cf. *D'Annibale,* I, 308. At etiam hac regula in quibusdam casibus res non conficitur.

sententiam iudicis condemnatoriam, fit *a iure simul et ab homine*, sed, quoad iuridicos effectus, consideratur tamquam *ab homine*.

Ab homine tantum est poena addita praecepto peculiari.

Fundamentum huius distinctionis (quae in *censuris* dumtaxat, uti patet, est practici momenti) quaerendum est in diversa poenarum reservatione (cf. can. 2245, § 2; 2247, §§ 2, 3; 2252; 2253, § 2). Nunc in C. est accurate indicata (can. 2217). Inter interpretes iuris antiqui, e contra, vix duos invenies qui in hac re inter se conveniant. Inde etiam controversiae.[1]

II. QUOMODO POENAE APPLICANDAE ET INTERPRETANDAE SINT

20. In poenis applicandis aequa cum delicto proportio servanda est. Qua in re iudex ecclesiasticus maxima utitur libertate, tum in delicti imputabilitate aestimanda, tum, hac statuta, in poena infligenda.[2] *Illam* quod attinet, non solum quae in elemento subiectivo et obiectivo delicti, ratione doli et damni, hoc gravius leviusve reddunt in decernenda punitione attendenda sunt, sed alia quoque adiuncta non sunt negligenda.

Unde, praeter circumstantias aggravantes (de quibus supra, n. 12) et minuentes generales, hae praecipue sunt considerandae: *a) Aetas,* quae, etiam seclusa praesumptione minoris doli, indulgentiam meretur ob inexperientiam. Impuberes efficacius poenis educativis quam censuris corriguntur (can. 2230).[3] *b) Scientia et institutio,* cuius defectus est sane causa excusans. *c) Sexus,* nam cum mulieribus mitius agendum est. *d) Conditio,* tamen obiective sine acceptione personarum. *e) Finis intentus, locus, tempus* quo delictum commissum est. *f) Ignorantia, ebrietas, metus, impetus passionis,* quatenus sine culpa sunt et plene imputabilitatem non tollunt. *g) Poenitentia,* cui accedit confessio, rei ablatae restitutio, ultronea reparatio damni (can. 2218).

Enumeratio *non* est *taxativa* et ipsum ius («aliaque similia») iudici concedit ut rationem habeat aliarum circumstantiarum, quae vel a DD. afferuntur vel ipse in subiecta materia invenire potest.[4] Specialis casus est in delicto *mutuae iniuriae,* quae si aequalis sit compensatur, si inaequalis est causa minuendae poenae (can. 2218, § 3).

21. Potestas iudicis. Principium quidem est iudicem posse solummodo poenas, legitime statutas, ad *normam iuris* applicare (can. 2220, § 1). At non obstante hac norma, ampla ei manet aequi arbitrii latitudo,[5] praesertim in favorem delinquentis. Re vera:

[1] v. *Wernz,* VI, 146 not. 16; *Lega,* 78 ss.; *Hollweck,* § 23; *Noldin,* 9.

[2] Nota propria iuris poenalis canonici (et iurium antiquiorum in genere), dum moderni codices quam minimum arbitrio iudicis permittere student.

[3] Quod principium paedagogicum in hodiernis legibus paulatim practice agnoscitur.

[4] cf. CI a. 59; CGa a. 463; CA §§ 43-55; CG §§ 50 ss.

[5] *Kahn,* 154 ss.; *Wernz,* VI, 61.

a) Poenam determinatam *augere* nequit, nisi extraordinaria adiuncta aggravantia id exigant.

b) Si lex in statuenda poena ferendae sententiae utitur verbis *facultativis*, potest iudex, pro sua conscientia, eam vel infligere, vel non infligere, vel temperare.

c) Imo, etiamsi verba legis sint *praeceptiva*, licet ordinarie teneatur poenam infligere, iudex habet facultatem *differendi* poenae applicationem *aut* a quacumque castigatione *abstinendi*, *aut* poenam determinatam *mitigandi* vel *commutandi* in simplicem poenitentiam seu remedium poenale.[1]

At non pro lubitu, sed rationabiliter. *Dilatio* conceditur si ex praepropera rei punitione maiora mala (sive publica sive privata, ipsius quoque culpabilis) eventura praevideantur. A *poena* infligenda *abstinere* potest iudex si reus perfecte fuerit emendatus et scandalum reparaverit, *aut* in foro civili eiusdem criminis poenam iam subierit vel subiturus sit, quae sufficiens aestimatur. («Ne bis in idem»).[2] Poenae *temperandae* vel *commutandae* locus est quando datur circumstantia notabiliter minuens, *aut* poena in alieno foro irrogata non censetur satis gravis, *aut* ad reum emendandum vel relapsum praecavendum aliqua punitio canonica opportuna videtur (can. 2223, §§ 1, 2, 3).

In poenis ecclesiasticis non datur *gradatio* legitima, ut in saecularibus. Imo nec ex criteriis internis semper facile aut possibile est, praesertim si agatur de poenis laicorum, determinare an altera poena altera gravior vel levior sit.[3] Quare etiam in hoc arbitrio prudentis iudicis decisio remittitur.

Per principium «arbitrii regulati» iudicis, Ecclesia iam a pluribus saeculis illam summam humanitatem, aequitatem et efficaciam educativam poenarum assequi studuit, quae in modernissimis theoriis *poenae indeterminatae, damnationis* vel *liberationis conditionalis* a criminalistis quaeruntur.[4] Et si legibus quorumdam codicum, quae has theorias applicant,[5] non semper respondent in C. nostro canones *formaliter* aequivalentes, nullum tamen dubium in systemate poenali Ecclesiae eosdem fines facile attingi posse.

22. Concursus delictorum triplici ex capite habetur: si *distinctis* actionibus *una* lex successive violatur,[6] si *pluribus* actibus leges

---

[1] cf. ius extraordinariae mitigationis CA § 54.

[2] R. I. 83 in VI «Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.» cf. *Wernz*, VI, 65.

[3] cf. *Kahn*, 93 ss.; *Hinschius*, V, 143 s.; *Wernz*, VI, 64. Ceterum admisso arbitrio iudicis, gradatio fere nullius esset momenti. Ex opposita ratione longe aliter in iure saeculari. CI aa. 11 ss.; CGa aa. 7 ss.; CA §§ 12 ss.; CG §§ 13 ss. ubi res etiam facilior est quia poenae reducuntur ad mortem, carcerem, mulctam et iurium amissionem.

[4] Praesertim a Societate internationali iuris poenalis. cf. *Meyer*, 323 ss.; *Kahn*, 82 ss.

[5] *Poena indeterminata* praecipue in Statibus foederatis Americae sept., *damnatio conditionalis* iam fere ubique, sed de hac v. intra n. 48; *liberatio conditionalis* in Anglia, Gallia (l: 14 aug. 1885), Dania, Germania (CG §§ 23-26), Italia (CI aa. 16-17) etc.

[6] ex. gr. si non sacerdos *iterato* missae celebrationem simulaverit, can. 2322.

diversae,[1] (in utroque casu concursus *materialis*), si *una* actione *distinctae* leges[2] (concursus *formalis*). Delictis concurrentibus, palam est reum maiore imputabilitate teneri, quomodo autem puniendus sit est a iure determinandum.

«Ordinarie tot poenae quot delicta» (can. 2224, § 1). C. igitur agnoscit principium *cumulationis materialis*. Et quidem in poenis latae sententiae consequenter in praxim deducitur (can. 2244). At in poenis ferendae sententiae, et praesertim in vindicativis, saepe nimis durum esset illud applicare. Proinde, uti fit etiam in multis modernis codicibus,[3] iudex permittitur uti *cumulatione iuridica*, uno vel altero recepto modo, sc. *vel* augendo poenam delicti gravioris *vel* poenas intra aequos terminos moderando, habita ratione numeri et gravitatis delictorum. Imo, iure nostro, nec prohibita est *absorptio* omnium poenarum in poena maiore, quae norma semper locum habere debet quando tum in conatum tum in consummatum delictum specialis constituta est castigatio. Altera primam absorbet (can. 2224, §§ 2, 3).

Ex dictis deduces *unum* esse delictum (concursum *apparentem*): *a)* si factum criminosum habet tractum successivum, delictum *permanens*, ex. gr. bigamia; *aut* si iterati actus eiusdem speciei a lege sub una figura delicti gravioris colliguntur, delictum *continuatum*, concubinatus; *aut* si plures actus simul sumpti delictum constituunt quando derivant ex una determinatione voluntatis, delictum *collectivum* seu *habituale*, frequentatio tabernae;[4] *b)* si *una* lex pluribus actibus eodem impetu commissis violatur; *c)* si agitur de delicto *composito*, cuius elementa sunt iam delicta (ex. gr. rapina est furtum et violentia, delictum qualificatum, *concursus legalis*); *d)* si *eadem* actione plures personae aut res, quas *eadem* lex tuetur, laeduntur (percussio duorum clericorum).[5]

At etiam in casibus sub *a)* recensitis, eo magis in concursu reali et in recidiva, iudex non solum potest gravius punire delinquentem, sed, si id opportunum duxerit, eum subiicere *vigilantiae* aut alii remedio poenali (can. 2234).[6]

---

[1] ex. gr. furcifer qui missam simulat (can. 2322) et falsas reliquias vendit (can. 2326) atque quaestum ex indulgentiis facit (can. 2327). Nec refert an leges in *uno* canone sint collectae, dummodo adaequate distinctae (libros haereticorum edentes, defendentes, legentes, retinentes, can. 2318); secus si prohibent actus in *unum* effectum tendentes (provocantes, acceptantes, perpetrantes duellum, can. 2351). cf. *Hollweck*, § 9; *Thesaurus*, P. I. c. 8.

[2] Matrimonium mixtum sine dispensatione (can. 2375) et coram ministro acatholico (can. 2319, § 1, n. 1) cum pacto educandi prolem in haeresi (can. cit. n. 2) initum.

[3] CI aa. 67-78 in concursu materiali, absorptio in formali; ita etiam CG §§ 73-78; CA §§ 34-35. In aliis viget principium *absorptionis*, ut in CGa instruct. cr. a. 365.

[4] cf. *Meyer*, 346 ss. et can. 1705, §§ 2, 3; *Manzini*, 93 ss.

[5] *Thesaurus*, P. I, c. 8; *Hollweck*, § 9; *Lega*, 27. In casu sub *d)* est utique controversia, at sententia quae unum delictum agnoscit, iam a multis antiquorum propugnata (cf. *Suarez*, De censuris, Moguntiae 1617, d. V, s. 3, nn. 8-12) videtur C. magis conformis. Contra *Hilarius a Sexten*, 19 aliique

[6] cf. CI aa. 28, 32, 90, 138 etc. CGa aa. 44-50; CG §§ 38, 39, 45. 76. Rarius occurrit in iure austriaco (lex 10 maii 1873).

23. Interpretatio. Suprema regula est: «In poenis benignior est interpretatio facienda» (can. 2219, § 1, et can. 19). Quae *tum* in dubio *iuris* an lex existat aut ad illum casum se extendat (can. 6, n. 5 et can. 15), *tum* in dubio *facti,* an delictum sit certum et perfectum (can. 2228 et can. 2233, § 1), reo tribuendum, dolo patratum, locum habet. Unde in poenalibus non admittitur *analogia* (can. 20), neque *productio* de persona in personam vel de casu ad casum, quamvis par adsit ratio, imo gravior (can. 2219, § 3). Quod autem non impedit quominus omnes complices in concursu puniantur, licet unum tantum lex nominet, quia in *contentis* nulla fit extensio sed declaratio, et ex contraria interpretatione iniquum vel absurdum sequeretur (can. 2231).[1]

Imo non modo quamlibet interpretationem extensivam iure excludimus, verum etiam *restrictiva* utimur quoties ratio legis eam patitur, quod vel ex subiecta materia, vel ex contextu, vel ex intentione legislatoris interdum desumere licebit.[2]

At si dubium versetur circa *iustitiam* poenae inflictae, praesumptio stat pro superiore *competente* (cf. can. 1904, § 1). Iniusta poena sane invalida est, et in neutro foro tenet, talis sitne ex defectu iurisdictionis, an causae aut formae; et si de hoc *aperte* constat damnatus impune eam non observat.[3] Attamen si superior *certa* iurisdictione utens poenam intulit, sive per legem, sive per praeceptum, sive per sententiam, praesumitur recte egisse, et, excepto casu appellationis in suspensivo, omnes effectus iuridici sequuntur tum pro foro externo (quod ex natura rei patet), tum ex can. 2219, § 2, pro foro interno.

Quaestio de *iniusta poena* hic dumtaxat, et quidem incidenter, in C. attingitur, dum in fontibus antiqui iuris frequenter occurrit et a canonistis profuse tractatur.[4] Ratio, sane, in mutatis temporum morumque conditionibus querenda. *Historice* usque ad Gratianum absolutam doctrinam non habemus, praecipui textus tamen inculcant ut etiam iniusta sententia actu legitimae auctoritatis sit auferenda, interim observanda. At hoc nondum probat eam iuridice validam habitam

---

[1] cf. *D'Annibale,* I, 309. At numero sequenti nimis concludit: «Ideo poena statuta adversus mandandem non tenet facientem; et ex diverso, statuta adversus facientem mandantem non tenet; statuta adversus mandantes et facientes non tenet eos qui opem, auxilium praebent etc.»

[2] *Reiffenstuel,* V, ad reg. XV et XLIX in VI; *Lega,* 94-95; *Suarez,* d. 35, s. 4.

[3] Hodie sententia certa. *Wernz,* VI, 162, 171; *Hilarius a Sexten,* 29. Terminus «iniustum» est aequivocus. Proprie significat quod contra legem est (illegitimum), id tamen dupliciter accipi potest: substantialiter vel accidentaliter. Si primum (et huc pertinet etiam necessitas iustae causae) poena erit *iniusta* et *invalida,* si alterum *valida* at *iniusta* et appellationi obnoxia. Medium locum tenet sententia *materialiter* iniusta *formaliter* valida, quae in foro interno ut nulla, in externo ut simpliciter valida habetur. Alii rem accurate non distinguunt; cf. ex. gr. *Kober,* Der Kirchenbann[2]. Tübingen 1863, 202.

[4] cf. *Suarez,* disp. IV, s. VI et VII; *Kober,* Kirchenbann 202-238.

esse.[1] Quod apertius defenderunt Gregoriani. *Magister* celebrem distinctionem excommunicationis iniustae *ex animo, ex ordine, ex causa* invexit, et primus coepit quaestionem scientifice examinare. Tum ipse tum decretistae obligationem censuram reverendi affirmant, potius tamen in obsequium clavium quam ob intrinsecam vim. At *Huguccio* iam diserte asserit excommunicationem etiam evidenter iniustam ligare. Quae doctrina in Decretalibus (praesertim ab Innoc. III) ulterius evolvitur, a glossatoribus argumentis munitur ita ut, hoc tempore, revera nulla fiat, a canonistis, distinctio inter vim iuridicam iustae vel iniustae sententiae.[2] At iam nunc excipitur casus in quo intercedat «error intollerabilis patenter expressus» (c. 40, X. 5, 39; c. 36, X. 1, 29; c. 2 in VI. 5, 11) et dein omnes decretalistae, qui generatim opinioni traditionali adhaerent, censuram *manifeste* ex iniusta causa latam nullius roboris esse admittunt. Ulterius processit potestas saecularis, mature sibi vindicans ius decernendi an iusta vel iniusta esset sententia, et quam iniustam censeret non agnoscendi vel exequendi. Et haec quaestio fuit haud exigui momenti in controversiis inter Ecclesiam et Statum.[3]

Praesertim autem abusus excommunicationum, saec. XIV et XV, effecit ut antiquorum recepta sententia paulatim fieret subodiosa. Gerson, Hieronymus Savonarola, Cajetanus, Hadrianus VI, Soto auctores fuerunt ut nova doctrina, valorem iniustae poenae negans, praevaleret licet complures antiquam adhuc defenderent.[4] Denique Suarez, magno suo nomine, rem confecit et hodie ipse C. haud obscure iniustae poenae nullitatem innuit.

III. A QUO ET IN QUEM POENAE FERANTUR

24. Poenas statuere pertinet ad potestatem legislativam. Quare ad hoc in Ecclesia competens est qui habet *iurisdictionem perfectam* fori externi: Romanus Pontifex pro universo orbe, Episcopus pro sua dioecesi, Abbas et Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus apostolicus, Vicarius capitularis, Superior maior in ordine religioso. Praeterea Concilium oecumenicum et provinciale, Capitulum cathedrale dum habet dioecesis administrationem, Capitulum generale religionis clericalis exemptae.[5]

Qui omnes possunt non modo legem ferre aut praeceptum imponere cum adnexa poena, sed etiam legem iam latam, a se a decessore

---

[1] Id deducit *Hilling*, Die Bedeutung der iusta causa für die Giltigkeit der Excommunicationsentenz in AK LXXXV, 250 ss.

[2] cf. *Hilling*, l. c. 516-527; *Hugelmann*, In den ban mit rechte kommen, in Z. der Savigny-St. für Rg., Kan. Abt. VII (1917) 55 ss.

[3] *Hashagen* l. c. 238 ss.; *Hugelmann*, 44 ss.; *Eichmann*, Acht, 123, 125, 130 s.; *Idem*, Recursus 76 s., 83 ss. et passim.

[4] *Hilling*, 719 ss.

[5] Non amplius vigenti iure Cardinales, Metropolitae in provincia (nisi in casu can. 274, 5), Congregationes Romanae nisi ex mandato Pontificis (excepto S. O. quod est simul tribunal, can. 247, § 2). — Neque ex iure communi superiores religiosi locales videntur posse (ex can. 501, § 1) dare praeceptum cum adnexa vera poena canonica, uti censent *Caviglioli* De censuris latae sent. Augustae Taurin. 1919, 15 et *Ferreres*, Instit. can. I, n. 809. Iure antiquo haec facultas eis non erat certa (cf. *Wernz*, III, 692), in iure novo non apparet satis probata, nisi expresse in eorum constitutionibus contineatur. (cf. *Biederlack-Führer*, De religiosis, Oeniponte 1919, 43).

a superiore, vel legem divinam, si id peculiaria adiuncta postulent, poena munire, aut, si iam aliqua sit, novam addere (can. 2220 et 2221). Vicarius generalis ab hac potestate, sive lege sive praecepto exercenda, positive (can. 2220, § 2) excluditur, nisi habeat mandatum speciale.[1] Delegare autem fas est superiori etiam alium, qui generalibus a iure requisitis qualitatibus non careat.

25. Poenas applicare est officium iudicis, qui normas iuris servare tenetur. Qui potestatem perfectam habent etiam iudicialem exercere posse planum est; praeter eos Officialis episcopi, Tribunalia ordinaria in C. praevisa, iudex delegatus, si quando detur, ad hoc competentes sunt. Vicarius generalis minime, nisi Officialis sit aut delegatus.

Pro diversitate poenarum triplex casus distinguendus: *a)* poena *latae sententiae*, cum ipso facto incurratur, sola declaratione indiget. Hanc facere superior *tenetur* tantummodo ad instantiam partis cuius interest *aut* bono communi exigente; secus, pro sua prudentia, potest eam etiam omittere (can. 2223, § 4); *b)* poena *ferendae* sententiae in lege contenta a iudice est infligenda per sententiam condemnatoriam, in regulari processu et in specie ac quantitate legitime statuta,[2] ratione habita propriae potestatis arbitrariae (cf. n. 21); *c)* poena per modum *praecepti* comminata ordinarie scripto aut coram duobus testibus declaranda est vel irroganda, indicatis causis, excepta suspensione ex informata conscientia.[3]

Ordinarie nulla poena sine lege (cf. n. 2). Unde, ubi sanctio in iure deest, saltem *praeceptum* vel *monitio*, interminata punitione, praecedere debet ut quis castigari queat. Ab hac regula *declinare* permittitur superior si, in casu aliquo extraordinario, violationem legis divinae vel humanae, propter magnum scandalum aut specialem gravitatem, impunitam manere non oporteat. Tunc *ex plenitudine potestatis* fas est ei congrua poena in peccatum animadvertere (can. 2222, § 1).

Non coactiva sed *administrativa* potestate utitur superior qui clericum, cuius delictum *aut* non satis probatum *aut* praescriptum est, ad ordines non promovet vel a ministerio exercendo prohibet vel ab officio oeconomice amovet. Haec omnia, cum boni publici causa non in criminis vindictam fiant, non habent rationem poenae (cf. n. 17).

---

[1] In can. cit. agi de potestate *statuendi* poenas certum mihi videtur, quamvis verbum «infligendi» ibi usurpatum frequenter etiam pro officio iudicis adhibeatur (cf. can. 2217, § 1, n. 2; can. 2219, § 2; can. 2223; can. 2224, § 2; can. 2225; can. 2233 etc.). Accuratior redactio utique optanda.

[2] can. 2220 et can. 2225. Et cum sit exercitium iurisdictionis *contentiosae* non in *causa propria* aut *extra territorium* (can. 201, § 2), nisi agatur de iudice vi expulso aut a potestate exercenda impedito (can. 1637).

[3] Haec regitur peculiaribus normis: cf. can. 2193.

Potestate puniendi graviores turbationes ordinis publici, etiam non praemissa lege aut monitione, antiquissimis temporibus *ordinarie*, sequentibus usque ad hodierna superiores ecclesiastici *saepe* usi sunt.[1] Ex principiis canonicis contra eam nihil esse obiiciendum vidimus, proinde a doctrina erat communiter admissa. At, procedente tempore ac expolito ampliatoque iure, haec potestas magis magisque coarctata est, nunc eiusdem superest in can. cit. ultimum rudus.

26. Quis poenae obnoxius. Explorati iuris est poena, quae est accessorium, non teneri nisi qui lege aut praecepto, cui adnectitur, tenetur (can. 2226, § 1). Unde imprimis omnes qui aut Ecclesiae in genere aut Praelati in specie *non* sunt *subditi* eximuntur.[2] Deinde qui absunt a *territorio*, si lex est particularis, secus si agitur de personali aut de praecepto, utpote quae ossibus haerent; peregrini insuper regulariter non incurrunt peculiares poenas loci in quo versantur.[3] Denique *infantes* infra septennium, licet doli capaces.[4]

Speciali iure supremi civitatum principes aut praesides, eorum filii filiae successoresque, Cardinales, Legati et Episcopi non nisi legibus aut sententiis poenalibus Romani Pontificis obnoxii sunt. Praeterea *Cardinales,* ipso iure, ab omnibus poenis latae sententiae, *Episcopi* a suspensione et interdicto immunes sunt, nisi expresse nominentur.[5]

Orientales suas leges suasque sanctiones habent nec ligantur iure communi, nisi de re agatur in qua competens est S. O.[6]

In *concursu* duarum legum, quarum altera vigente delictum est commissum, altera lata castigandum, applicanda est quae *reo favorabilior.* Quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis.[7] Non item si cessat dumtaxat potestas superioris qui poenam tulit, imo semel irrogata tenet reum quocumque se conferat (can. 2226, §§ 2, 3, 4).

Licet *mortui* subditi Ecclesiae non amplius sint, tamen iam primis saeculis christianis, si impoenitentes decessissent aut eorum delictum post mortem detectum esset, poenis (praecipue excommunicatione) afficiebantur; durante medio-aevo, inde a saec. XII, contra eos, citatis haeredibus, etiam regularis pro-

---

[1] cf. *Hinschius,* IV, 745, 836; V, 295, 906.

[2] can. 12, 13, 615. At quoad *regulares* exemptos dantur exceptiones: can. 616, 619, 1261, § 1, 2269, § 2.

[3] Exceptis legibus, quae ordini publico consulunt vel actuum sollemnia determinant.

[4] can. 12.

[5] can. 1557, § 1 et 2227. Ita iam antiquo iure (c. 4, in VI, 5, 11).

[6] can. 1, 247, 257, § 2.

[7] Idem prorsus in CI a. 2; CG § 2 admittit applicationem legis favorabilioris, non autem cessationem poenae iam latae; cf. Litt. patentes introd. ad CA a. IX. Principium valet non quoad poenam tantum, sed etiam quoad elementa delicti, praescriptionem etc. Num applicanda sit *lex intermedia,* omnium favorabilissima, iure nostro videtur negandum («favorabilior») iure italico et germanico non excluditur (*Meyer,* 94; *Manzini,* 20).

cessus instruebatur et, post condemnatoriam sententiam, ossa exhumabantur et concremabantur.[1] Quae omnia ad erudiendos et deterrendos *vivos* dirigebantur.[2] Ceterum mortui ab incursis, dum viverent, censuris absolvebantur quoque, ut fidelibus liceret eos seppelire et suffragiis adiuvare.[3]

Ex eodem studio augendi vim poenarum exemplarem explicandae sunt etiam sanctiones in *innocentes* latae, quae antiquo iure haud infrequentes erant, neque in omnibus casibus respiciebant privationem bonorum, ad quae innocentes strictum ius non haberent.[4] Unde recte in C. omnes istae poenae sublatae sunt, ideoque nemo hodie punitur nisi propter culpam personalem (cf. can. 987, n. 1 de filiis acatholicorum).

27. Quae a poenis excusant. *a)* «Si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt,[5] quaelibet imputabilitatis *imminutio* sive ex parte intellectus (n. 6) sive ex parte voluntatis (n. 7) eximit a poenis *latae sententiae*», tum medicinalibus tum vindicativis (can. 2229, § 2).

b) Ignorantia invincibilis, cum dolum et culpam excludat, a qualibet poena liberat (n. 6, c). Itidem *leviter* culpabilis (can. 2218, § 2). *Graviter* vero *culpabilis* diversimode esse potest: et dicitur *affectata* cum quis quod debuit cognoscere noluit ne a male agendo prohiberetur, *crassa* (supina) cum ex desidia exiguam vel nullam adhibuit diligentiam, *vincibilis* simpliciter si aliquam adhibuit sed, pro rei gravitate, non sufficientem. In utraque igitur negligentia et culpa[6] subest gravis, in crassa cum excessu.[7] Iam vero: *1. affectata* ignorantia evidenter est dolosa, ideoque sive legis sit sive poenae a nullis latae sententiae poenis excusat, licet lex contineat verba *praesumpserit* etc. (can. 2229, § 1). Deficit enim ratio favendi huiusmodi delinquenti. At, argumento a contrario, ex eodem canone (§ 1 et § 3) deducitur *2.* ignorantiam *culpabilem etiam crassam*, iuris vel facti, a poenis sub dicta clausula latis eximere. Praeterea, clausula deficiente, *3.* ignorantia *simpliciter vincibilis,* legis aut etiam solius sanctionis, excusat a poenis medicinalibus, non autem

---

[1] *Hinschius,* IV, 697 et 758; V, 302. — Similiter iam in iure Romano, *Ferrini,* 347 ss.

[2] cf. *Kober,* Kirchenb. 90-93.

[3] Cuius praxis evolutionem historicam exhibet *Kober,* Kirchenb. 525-531.

[4] Vide exempla citata ap. *Hinschius,* V, 123, 929 et explicationes apologeticas in *Wernz,* VI, 24 et *Hollweck,* XXXI. Veteres doctores nullam difficultatem in hac re persentiebant. *Reiffenstuel,* in reg. iur. 22 et 23.

[5] Quod alii dicunt (at minus recte) *dolum.* cf. *Hollweck,* § 13, not 5 et § 17. — Fere omnes leges C. quae poenas latae sententiae sanciunt habent illa verba (cf. ex. gr. *scienter* in can. 2318 et saepissime; *praesumpserit* in can. 2321 et itidem valde frequenter; *ausus fuerit* in can. 2337 et rarius; *studiose, temerario, consulto* non leguntur, at crebro usurpantur in fontibus iuris antiqui). Eadem vis tribuenda videtur verbis; *pertinaciter* (can. 2317 et 2331), *fraude et dolo* (can. 2361), *malitiose* (can. 2374), forte etiam *de industria* (can. 2351).

[6] *Theologica* in foro interno, *iuridica* in foro externo.

[7] cf. *D'Annibale,* I, 132; *Wernz,* VI, 21; *Lega,* 42.

a vindicativis latae sententiae;[1] reus tamen potest, si res ferat, arbitrarie castigari. *Crassa* autem, in hoc casu, non iuvat.

c) Reliqua que ex parte intellectus imputabilitatem *minuunt* (ebrietas etc.) a poenis *latae sententiae* non excusant, si actio manet graviter culpabilis et lex non exigat dolum perfectum (supra sub a).

d) Idem dicendum *de metu*, si delictum vergit in contemptum fidei, auctoritatis vel in publicum animarum damnum. Et ex paritate rationis de *necessitate*.

Haec de poenis *latae sententiae*. In ferendis conscientiae iudicis remittitur adiuncta, aequo modulo, aestimare (n. 20).

C. aperte distinguit ignorantiam *simpliciter vincibilem* (etiam *graviter* culpabilem) a *crassa* et *supina* quoad effectus poenales. Resoluta est igitur, authentice, controversia quae hucusque erat inter iuris interpretes, quorum multi, praesertim post *Suarez*,[2] affirmabant quamlibet ignorantiam cum gravi culpa coniunctam crassae aequiparari. At, e contra, complures docebant *affectatam* quoque sufficere ne quis censuras incurreret, quando lex expresse scientiam requirebat.[3]

Denique animadvertas can. 2229, § 3 loqui tantummodo de *errore iuris*. An error *facti* idem praestet, ut communis erat hucusque DD. opinio, non liquet.

28. Sententia declaratoria et monitio. *a)* Poenae *latae sententiae* illud est proprium ut ab ipso iure reo infligatur. Ideo per se non requirit iudicis ministerium, et, *statim* ac factum criminosum commissum est, in utroque foro tenet delinquentem, qui *regulariter*, si delicti sibi sit conscius, obligatione eam observandi mancipatur.[4]

At publice et *coram societate*, excepto casu notorii, nulla habetur iuridica certitudo patrati delicti et inde incursae poenae. Eo magis si omnino occulte legem violavit. Ex quo sequitur, imprimis, neminem in *foro externo* posse ab eo exigere ut poenam in se ipsum exequatur, eiusdem sequelas et incommoda patiatur, iura quae forte amisit non exerceat. Ipse enim est in possessione. Neque aequa esset, imo nimis acerba et durissima, lex, quae postularet ut quis se proderet et *infamiam* subiret, dum occultam sententiam in se exequeretur.

---

[1] Opinio interpretum antiqui iuris. cf. *Noldin*, 25.

[2] De censuris, d. IV, sect. 10. Ita etiam *Wernz*, VI, 21 et 158, *Noldin*, 24, *Aichner*, Com. pendium i. c.[11] (Brixinae 1911) 783. Contra *D'Annibale*, I, 132, not. 45; *Lega*, 43.

[3] *D'Annibale*, I, 133, not. 44, 318; *Hilarius a Sexten*, 27; *Aichner*, l. c.; *Lehmkuhl*, Theolmor.[12] II (Friburgi 1914) 1108 et plures; contra recte *Suarez*, l. c. n. 10; *Thesaurus*, P, I, c. 15; *Wernz*, VI, 158.

[4] Unde iuri conformis non est distinctio inter poenas l. sent. quae *ante* sententiam declaratoriam et quae *post* eam incurruntur (*Noldin*, 5, e). Omnes statim *incurruntur*, quamvis non statim *executionem habeant*. Ideo etiam retrotrahuntur.

Et reapse haec principia, ab antiqua iam doctrina adstructa,[1] C. (can. 2232, § 1) expresse confirmat: idcirco poena latae sententiae perculsus ea servare non tenetur quae periculum revelationis sui criminis afferrent, cetera utique.

Plenam vero executionem habet poena post *sententiam declaratoriam*, qua edicitur ex officio delictum esse commissum et consequenter poenam incursam. Tunc enim de ea constat in foro externo. Ex natura huius sententiae sponte sequitur poenam *retrotrahi* ad momentum patrati criminis, et si ex aliquo vitio sit nulla non ideo exulare poenam sed effectus dumtaxat declarationis.

Poena esse potest aut *positiva,* quae sine facto aliquo nostro vel alterius irrogari non potest (carcer, mulcta); aut *privativa,* quae privat iure quaesito (officio, beneficio, iurisdictione); aut *inhabilitans*, quae nobis adimit capacitatem faciendi, acquirendi, contrahendi; aut demum *irritans* quae irritat actum. Iam vero doctrina, quam, deficiente clara dispositione legis, statuerant veteres iuris interpretes, sic breviter a *D'Annibale* (I, 310) traditur: «Poenae *positivae* non tenent ante sententiam iudicis, nisi aut leviores sint, aut eiusmodi quae officio iudicis irrogari non solent, tametsi sine infamia subiri possint. *Privativae* ipsae quoque egent regulariter sententia iudicis, eoque magis si aliquid poenae positivae habent admixtum. Excipiendae sunt censurae, irregularitates et poenae quae suapte natura officio iudicis regulariter irrogari non possunt, ex. gr. amissio iuris petendi debitum. De *inhabilitantibus* et *irritantibus* non satis convenit: nam quidam tenent, et verius, nulla indigere sententia iudicis declaratoria, alii de his quae nos reddunt inhabiles obtinendis officiis et beneficiis ecclesiasticis contra putant».[2]

Quae cum nova C. regula (quae rigidior est) non ex integro convenire palam est.

b) Poena *ferendae sententiae* non solum supponit delictum indubium et non praescriptum, de quo iudex se certiorem reddere debet, sed praeterea exigit, si est censura, contumaciam, de qua per spretam *monitionem* constat. Quae proinde necessario praemittenda est, reo personaliter intimata in forma canonica et ita ut de ea in foro externo constet, dato etiam, si opportunum iudici videatur, congruo tempore ad resipiscendum. Secus censura est invalida (can. 2233).

Antiquo iure ad liceitatem requirebatur regulariter *trina* monitio, cum intervallo duorum dierum intra unamquamque, vel saltem *una peremptoria* triplicato tempore utili, nisi periculum in mora vel alia gravis causa aliud suasisset. Erant etiam casus in quibus trina monitio ad *valorem* exigebatur. Nunc etiam hoc arbitrio iudicis remittitur.[3]

---

[1] *Suarez,* De censuris d. VI, s. 3, n. 13; *Thesaurus,* P. I, cc. 5-6; *Reiffenstuel,* l. I, t. 2, n. 228; *Ben. XIV,* De syn. dioeces.. (Venetiis 1793) l. X, c. 1, n. 5 etc.

[2] cf. etiam *Lega,* 86 ss.; *Wernz,* VI, 63; *Thesaurus,* P. I, c. 5 ad III.

[3] *Conc. Trid.* sess. XXV, c. 3 de r.; *Thesaurus,* P. II, v. Censura, c. 1; *Wernz,* VI, 167; *Kober,* Kirchenb. 145 ss.

IV. A QUO ET QUOMODO POENAE REMITTANTUR

29. Modi et competentia. Poenae *irrogatio* impeditur morte rei, abolitione, praescriptione: quae omnia ad ordinem procedendi spectant.[1] Semel autem inflicta *aut* elapso tempore si in diem, *aut* impleta conditione si qua resolutiva erat apposita, *aut* damnati morte,[2] *aut* denique actu superioris tollitur. Hic modus est ordinarius: censurae remittuntur per *absolutionem*, poenae vindicativae per *dispensationem*. Quas inter hoc distat, quod *illa* est secundum legem, ideo debita, ideo favorabilis interpretationis, *haec* contra legem, ideo arbitraria et stricti iuris; *illa* denegata datur appellatio, *hac* non concessa solus recursus.

Utrique vero convenit ut nonnisi ab eo qui poenam tulit, aut ab eius successore vel superiore vel delegato, concedi queat. Eius enim est solvere cuius est ligare. Potestas delegata *implicite* continetur in facultate dispensandi a lege, cui adnexa est poena.[3] At *iudex* qui ex officio applicat poenam a superiore constitutam, eam semel applicatam remittere nequit (can. 2236).

Poenae remissio, quae vi aut metu extorta irrita est (can. 2238), valide concedi potest praesenti vel absenti, absolute vel sub conditione, in foro externo vel interno tantum (can. 2239).

Conditio apponi per se potest de praeterito, de praesenti vel de futuro suspensiva vel resolutiva. Ast conditione de futuro parce utendum est.

Ad *reincidentiam* absolvitur qui, nisi intra certum tempus onus aliquod ei impositum adimpleverit, denuo eandem poenam (censuram) incurrit. Casus sunt hodie taxative in C. determinati (can. 2252, 2254).

Ad *cautelam* denique datur absolutio in dubio facti positivo aut etiam negativo tantum.

Ad *effectum* concedebatur absolutio a censuris, ut quis rescripti pontificii capax fieret. Ex Const. *Sapienti consilio*, normae pec. c. III, a. I, n. 6[4] et nunc ex can. 36, § 2 non amplius requiritur.

---

[1] can. 1701-1705 et can. 2240. Praescripto delicto indirecte praescribitur etiam poena; at directa praescriptio poenae iam irrogatae (cf. CI aa. 95-96, CGa instruct. crim. aa. 635 ss. CG § 70) ius nostrum non agnoscit (Idem CA). De terminis praescriptionis vide infra n. 120. Moderni iuristae considerant praescriptionem ut modum extinguendi *delictum* et proinde locum ei assignant in iure materiali, non formali. *Manzini*, 121; *Meyer*, 262.

[2] Excepta censura, quoad aliquos effectus (sepulturam et suffragia).

[3] Iste mihi sensus § 2 can. 2236, ne sit otiosa. cf. *Suarez*, de cens. d. XXIX, s. 1, n. 21. Unde ex. gr. Ordinarius qui potest dispensare super lege residentiae, valet etiam Titio illegitime absenti remittere poenas can. 2381; Episcopus facultate praeditus dandi licentiam ut bona ecclesiastica acquirantur absolvere potest eum qui sine licentia acquisivit (can. 2346); durante bello Ordinarius austriacus a poenis can. 2388 regularem vel monialem valebat absolvere, quia super impedimento professionis poterat dispensare (cf. *Chelodi*, Ius matrimoniale,[2] Tridenti 191[3], 42).

[4] 29 sept. 1908, A. I, 64.

Forma aliqua *ad valorem* non est necessaria. Si poena inflicta fuit *scripto* expedit ut etiam remissio scriptis consignetur, ut de utraque eadem certitudine constet (can. 2239, § 2). In absolutione a *censuris* formulae quaedam ad liceitatem requiruntur; sed de hoc infra (n. 34).

30. Potestas Ordinarii. Non obstante principio supra allato, valent Ordinarii non modo remittere poenas ex potestate propria vel decessoris inflictas, sed etiam quasdam *poenas iuris communis,* ex espressa concessione legis (can. 2237), ideoque potestate ordinaria et delegabili. Et quidem:

a) In casibus *publicis* poenas *latae sententiae*, exceptis: 1) casibus ad forum *contentiosum* deductis, 2) censuris Sedi Apostolicae *reservatis,* 3) poenis *inhabilitatis* ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam eorumve *privationis*, suspensionis perpetuae, infamiae iuris, privationis iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae.

b) In casibus *occultis* omnes poenas latae sententiae, exceptis censuris specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatis. Ad eum proinde recurrere possunt confessarii qui in casibus urgentioribus absolvunt a censuris (can. 2254) vel suspendunt obligationem poenae vindicativae (can. 2290).

Potestas Ordinarii in casibus *publicis*,[1] uti patet, nove iure fere nulla est. Hucusque tribuebatur *Episcopis* — praeter facultatem remittendi poenas omnes, quarum ius permittebat dispensationem non determinato dispensante — potestas dispensandi a poenis incursis ob adulteria et *crimina* his *minora*. Fundamentum erat labile (c. 4, X. 2, 1), aestimandi criterium subdifficile: *minora* censebantur furta, sacrilegia, periuria; *maiora* homicidium, simonia, haeresis. Nunc habemus taxativam enumerationem.[2]

Pro casibus *occultis* vigebat concessio Conc. Trid. (sess. XXIV, c. 6 de r. «Liceat»): dispensandi in *irregularitatibus* omnibus et *suspensionibus* ex delicto occulto provenientibus, excepta irregularitate orta ex homicidio voluntario et aliis deductis ad forum contentiosum atque *absolvendi* in quibuscumque casibus occultis, etiam reservatis, in foro conscientiae suos subditos intra dioecesim. Excipiebantur censurae speciali modo reservatae Constit. Apostolicae Sedis.[3]

---

[1] Quid *publicum,* quid *occultum* firmatur in can. 2197 (cf. supra n. 4). Cum quo saltem non convenit criterium quo *D'Annibale* pro iure antiquo utebatur: «occultum (est) quod *non* est *notorium,* et potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit» (I, 242). — At e contra eodem canone admittitur occultum *formaliter* pari ratione habendum esse ac occultum *materialiter*, et ita alia acris controversia resoluta est. cf. *Thesaurus,* P. I, c. 21; *Benedict. XIV,* Instit. eccl. (Parmae 1762), LXXXVII, 42-49.

[2] *Thesaurus,* P. I. c. 23 ad IV; *D'Annibale,* I, 321; *Wernz,* VI, 91.

[3] *Lega,* 131; *Thesaurus,* P. I, c. 23 ad VI.

CAPUT III

DE POENIS IN SPECIE

A. De poenis medicinalibus

I. DE CENSURIS IN GENERE

31. Notio. *Censura* «est *poena* qua homo baptizatus, delinquens et *contumax*, quibusdam bonis *spiritualibus* vel spiritualibus *adnexis* privatur, donec, a contumacia recedens, absolvatur» (can. 2241, § 1).

Poena est, et ideo nonnisi ob delictum externum, grave, consummatum infligi potest; *medicinalis* est, quocirca supponit contumaciam, ad quam frangendam praecise dirigitur, a qua recedens delinquens statim est absolvendus. Natura sua igitur sive ad certum tempus sive in perpetuum ferri nequit,[1] neque in delictum mere praeteritum locum habet; at, e contra, necesse non est ut in quolibet casu emendatio rei praevideatur, cum lex caveat communiter contingentibus, et deficiente fine principali non proinde cessent secundarii, quorum causa poena infligitur. Inde sequitur censuram ferri posse etiam in delinquentes ignotos et in crimina quae forte perpetuo occulta mansura sunt (can. 2242, § 1). *Contumacia* autem habetur vel *formalis,* in censuris ferendae sententiae, quando quis spretis monitionibus a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam, cum debita damnorum et scandali reparatione, agere detrectat, vel saltem *interpretativa* sc. in censuris latae sententiae quia lex ipsa vel praeceptum, huiusmodi minitans poenam, continet admonitionem (can. 2242, § 2).

Censura privat quibusdam bonis *spiritualibus.* Non autem bonis mere internis, nam ad ea potestas socialis Ecclesiae non pertingit, sed *mixtis* velut sacramentis, officio divino, publicis suffragiis, quae ad vitam supernaturalem quidem conferunt, sed Ecclesiae ministerio dantur, vel *spiritualibus adnexis*, ut puta sunt beneficia, iura, honores et similia. Mala *mere temporalia* mediate tantummodo a censura derivant.

At eo ipso quod spiritualibus bonis privat, censura est *gladius anceps,* qui non modo in aedificationem sed etiam in destructionem cedere potest. Quamobrem C. grave monitum Concilii Tridentini renovat: Censurae, praesertim latae sententiae, maxime excommunicatio, ne infligantur, nisi *sobrie* et magna cum circumspectione (can. 2241, § 2).

Nomen *censurae* a iure Romano (ubi *nota* censoria, dein generatim *poena*) in nostrum translatum diu omnibus canonicis poenis commune fuit. Initium pressioris significationis in c. 20, X. 5, 40, quo Innoc. III declaravit per censuram

---

[1] Quodsi ex. gr. suspensio vel interdictum tali modo inferatur non amplius est *censura*, sed *poena vindicativa*.

intelligi excommunicationem, suspensionem et interdictum, apparet, at nondum terminologia ita firma est ut eiusmodi appellatio solis poenis medicinalibus sit propria. Etiam in doctrina decretalistarum nomen nondum est exclusive usurpatum.[1]

Eadem incertitudo quoad rem, in distinguendis poenis medicinalibus a vindicativis, longo tempore duravit. In suis exordiis Ecclesia *has tantum* inflixit,[2] at inde a saec. IV, primum contra clericos deinde etiam contra laicos, medicinales quoque poenae («usque ad emendationem») incipiunt applicari. Tamen quaenam ad illam classem quaenam ob hanc pertinerent non erat definitum et *maxima varietas* in fontibus iuris occurrit. Neque doctrina, usque ad saec. XV, certos statuit fines clarasque tradidit definitiones, quae adaequate duas species poenae dividerent.[3]

Censurae, imprimis excommunicatio et interdictum, a primo medio-aevo et deinceps magis magisque adhibitae sunt, saepe absque moderatione a multis Praelatis inferioribus, ultimis illius aetatis saeculis praesertim ut *media executiva* a tribunalibus ecclesiasticis in negotiis etiam mere temporalibus.[4] Inde monitum *Conc. Trid.*: «Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae et ad continendos in officio populos valde salutaris, *sobrie* tamen *magnaque circumspectione* exercendus est: cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari et perniciem potius parere, quam salutem» (sess. XXIII, c. 3 de r.).[5]

Prima *censura generalis* pro universa Ecclesia lata est in c. 24 Lat. III, 1179 (c. 6, X. 5, 6). Proxime aliae accesserunt, haud paucae in Decretalibus continentur. Saltem sub initio saec. XIV series aliqua (20) excommunicationum generalium, R. Pontifici reservatarum, efformata est quae quolibet anno, feria V hebdomadae sanctae, per bullam *In coena Domini,*[6] sollemniter Romae promulgabatur, atque in omnibus orbis cathedralibus promulganda fuisset.[7] At ex causis politicis in multis locis hoc non fiebat, imo Romae quoque ex eadem ratione inde ab anno 1770 publicatio omissa est.

Interim multae censurae, procedente tempore, obsoleverant, multae erant incertae. Cui rei ut mederetur Pius IX, per Const. *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869, novam earum recensionem et indicem edidit, quae codificatio authentica viguit usque ad C.

32. Quando et quoties censura teneat. I. Duplex casus distinguendus: *a)* Censura *inflicta*, sive a iure (l. sententiae) sive ab homine (per sententiam iudicialem vel ad modum praecepti) *statim ac irrogatur* incurritur et executionem secumfert. Proinde omnes effectus iuridicos per se tum ipsum[8] producit. Ex positiva iuris dispositione (can.

---

[1] *Hinschius*, IV, 748, 832; V, 125, 641.

[2] Quin tamen finem medicinalem excluderet. Cf. *Kober*, Kirchenb. 24 s. At non ex hoc poena fit *specifice* medicinalis.

[3] *Kahn*, 70 ss.; *Hinschius*, IV, 748 ss., 832; V, 641. Nuper adhuc *Hollweck* § 22 defendit non esse essentiale censurae ut sit medicinalis, quae opinio antea profecto singularis, nunc cum C. incompatibilis est.

[4] *Hashagen*, l. c. 233 ss., 246 ss.; *Eichmann*, Acht, 71; *Idem*, Recursus, 13-21.

[5] cf. *Ben. XIV*, De syn, l. X, c. 1 et 2, qui alia monita affert et decisiones C. C.

[6] Saepe mutata, ultimo ab Urbano VIII (1627). Textus apud *Thesaurus*, p. 333.

[7] *Hinschius*, V, 135 ss.

[8] Licet quidam sequantur dumtaxat post declaratoriam (cf. supra n. 28).

2243, § 1) interposita *appellatio* vel recursus valet *in devolutivo* tantum. Appellatio a declaratoria vero suspendit declarationis sequelas.

b) A censura *comminata,* e contra, etiam latae sententiae, sed nondum contracta datur appellatio vel recursus *in suspensivo.* Unde, quousque superior rem definiverit et sententiam vel praeceptum poenam inferentia confirmaverit, censura non ligat.[1] Qua in re tamen animadvertas opus esse ut reus appellaverit *non* a sola poena *sed* ab ipsa quoque sententia vel praecepto; insuper dari materias in quibus lex penitus denegat appellationem vel recursum in suspensivo,[2] quo in casu appellans nec sententiam nec praeceptum nec censuram, quominus effectum praestent, impedire valet (can. cit. § 2).[3]

II. Censura in eodem subiecto *multiplex* esse potest, quod si fiat unaquaeque eum seorsim tenet. Applicatur enim principium «tot poenae quot delicta» et idcirco ubi habetur concursus delictorum, materialis vel formalis (cf. n. 22), censurae cumulantur.

Ideo censura *latae sententiae* multiplicatur: *a)* si *diversa* delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur; *b)* si *idem* delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta; *c)* si delictum, *diversis* censuris a distinctis superioribus[4] punitum, semel aut pluries committatur.

Censura *ab homine* multiplicatur si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant (can. 2244).

33. Censurae divisio et reservatio. Censurae sunt, hodie, exclusive *excommunicatio, interdictum, suspensio:* illa semper, istud et haec nisi contrarium constet (can. 2255). Communes poenarum divisiones eis quoque conveniunt, et sunt *latae* vel *ferendae* sententiae, ab *iure* vel ab *homine.* Propria est distinctio in *reservatas* et *non reservatas,* prout ab omnibus aut a quibusdam tantum, potestate absolvendi praeditis, tolli possunt.

---

[1] C. C. in *Gravinen.* 10 iul. 1724; in *S. Marci* 30 mart. 1726 (*Richter,* Canones et decreta Conc. Trid., Lipsiae 1853, 441, 442).

[2] cf. *Conc. Trid.* sess. XIII, c. 1 de r., sess. XXII, c. 1 de r., sess. XXIII, cc. 1 et 18 de r., sess. XXIV, cc. 10, 18, 20 de r., sess. XXV, cc. 13 et 14 de r. et declarationes C. C. huc facientes (*Richter,* 70, 213 n. 24, 382 n. 29); *Ben. XIV,* Const. *Ad militantis,* 30 mart. 1742 (ap. *Richter,* 521); C. can. 345, 513, § 2, 1340, § 3, 1345, § 2, 1428, § 3, 1889, 2146.

[3] Ex Const. *Ad militantis* § 36 hucusque appellatio admissa erat tantummodo *ex capite nullitatis.* Haec limitatio videtur a C. esse sublata.

[4] Unde si idem delictum in iure communi et in iure dioecesano sit excommunicatione mulctatum, delinquens *sola pontificia censura* tenetur (quod hucusque non erat, cf. *Hilarius a Sexten,* 19), contra vero si iure dioecesano statuta sit suspensio; si plures censurae *eiusdem* superioris in eodem facto concurrant, incurritur tantum poena pro delicto specifico (ex. gr. percutiens Episcopum liber est a poena percutientis clericum, c. 2343). Idem iure antiquo si agebatur de censuris *eiusdem speciei,* secus neutiquam (cf. *Thesaurus,* P. I, c. 8, quartus casus).

a) Omnes censurae *ab homine* sunt reservatae, et quidem illi qui aut praeceptum imposuit aut sententiam dixit. Ipse solus igitur valet poenam remittere, vel, ut planum est, eius superior,[1] successor, delegatus.

b) Censurae vero *latae sententiae* semper praesumuntur non reservatae, nisi in lege vel praecepto id expresse et clare dicatur. In iure duplex genus occurrit: aliae *Ordinario* reservatae, aliae *Apostolicae Sedi.* Hae iterum aut *simpliciter,* aut *speciali modo* aut *specialissimo* (can. 2245). Praeter censuras quas C. *ipsi* reservat, potest Ordinarius alias, propria lege statutas, *sibi* reservare, dummodo non cadant in delictum iam censura Apostolicae Sedi reservata mulctatum (can. 2247, cf. can. 898). At reservatio est *odiosa*, utpote quae exasperat poenam; proinde non solummodo *strictam* recipit interpretationem et in dubio, sive iuris sive facti, non sustinetur (can. 2246, § 2, can. 2245, § 4), sed etiam parcissime adhibenda, et nonnisi in delictis valde gravibus *atque* quatenus necessaria videtur ad firmandam ecclesiasticam disciplinam ac extirpandum aliquod vitium a conscientiis fidelium (can. 2246, § 1, cf. can. 897).[2] Eo magis quia reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum (excommunicationis et interdicti personalis) importat etiam reservationem peccati, cui est adnexa. At haec altera est mere *accessoria,* sive in reservatis pontificiis sive in dioecesanis;[3] unde si quis a censura excusatur (quia ex. gr. eam ignorat) aut ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus *cessat* (can. 2246, § 3). E converso confessarius cui conceditur facultas absolvendi a peccato, si censura ei cohaereat, censetur accepisse quoque potestatem ab hac absolvendi, quia unum sine altero fieri nequit.[4] Si autem ignorans reservationem poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata (can. 2247, § 3).

c) Censurae latae sententiae per *legem* particularem statutae extra territorium *non sunt reservatae,* etiamsi quis exeat praecise in finem obtinendi absolutionem; censurae vero per *praeceptum* sive latae sive ferendae et per *sententiam* inflictae ubique sunt reservatae et specialis facultas requiritur ut tolli possint (can. 2247, § 2).

---

[1] Qui pro Episcopo est R. Pontifex in casu *recursus*, Metropolita in casu *appellationis.*

[2] Propter paritatem rationis, sane attentionem meretur etiam hic dispositio can. 895, quamvis de sola *reservatione peccatorum* vigeat: «Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi re in Synodo dioecesana discussa vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus».

[3] Sententia contraria, quae hucusque in dioecesanis *utramque* reservationem principalem esse docebat (cf. *D'Annibale*, I, 340; *Noldin*, III, 374, 2) cum generali textu canonis non convenit. Imo nec Episcopus posset amplius tali modo reservare.

[4] *D'Annibale,* I, 347.

34. Absolutio. I. Generales normae. 1. Censura semel *contracta* numquam ipso iure cessat, sed opus est ut *absolutione* tollatur (can. 2248, § 1). Ipsa emendatio delinquentis est utique conditio eiusdem auferendae et ratio ut auferri debeat, at nullo modo efficit ut sponte solvatur, nisi fuerit sub hac expressa clausula illata, quo in casu absolutio est implicita. Tamen reo a contumacia recedenti et absolutionem postulanti *denegari* nequit. Superior habet tantummodo ius decernendi an contumacia revera desierit: quod sane tenendum cum reus delicti sinceram poenitentiam ostendit, damna et scandala reparavit, vel saltem, pro posse, reparare promittit. Integrum est autem absolventi *determinare* quaenam satisfactio sit congrua, et, si res ferat, pro patrato delicto vindicativam poenam aut poenitentiam *imponere*. Quarum ultronea acceptatio et executio est profecto argumentum resipiscentiae, imo superior potest quoque absolutionem diferre donec impleantur; at si hoc omittat, censura quae est sublata *non reviviscit*, et si onus negligatur, dumne sub poena reincidentiae impositum fuerit (can. 2242, § 3 et can. 2248, §§ 2, 3).

2. Omnis censura est vinculum *fori externi*,[1] in hoc ergo per se tollenda; quo facto etiam *in interno* eius effectus cessant (can. 2251). Attamen, cum saepe ob delictum omnino occultum incurratur vel speciales rationes exigant ut statim censuratus poenitens liber evadat a bonorum spiritualium privatione, quam illa secumfert, conveniens erat ut Ecclesia permitteret absolutionem in foro interno tantum, sine praeiudicio fori externi, quod per hanc non attingitur.[2]

Re vera *in foro interno absolutus*: *a)* si censura erat *occulta* potest se habere uti talem etiam in actibus publicis, quia nullum sequitur scandalum, et etiamsi serius poena innotuerit non censetur censurae violator; *b)* si censura erat *notoria* vel saltem *publica* tenetur omnes actus interdictos devitare, qui scandalum pariant, non prohibetur vero occulte contra censurae prohibitiones agere; *c)* in quolibet casu ius est superiori fori externi, si delicti et poenae testimonia acquisierit, reum qui absolutionem in foro interno acceptam nec plene nec verisimiliter probat, tamquam censuratum habere donec in suo quoque foro absolvatur. Cuius mandatis parendum est (can. 2251).

3. Cum unaquaeque censura sua vi teneat, qui absolutionem petit debet, si pluribus innodetur, *singulas* indicare: secus absolutio valet tantum pro expressa, ceterae manent. Si vero, licet petitio particularis facta

---

[1] Ideo non recte dicitur censuram contractam esse aut in *solo* foro interno aut *etiam* in foro externo (ex. gr. *Noldin*, 31).

[2] Antiquo iure *invalida* aestimabatur absolutio data pro foro interno quando casus iam deductus erat ad forum iudiciale. *Wernz*, VI, 174; *Lega*, 130, 2, at cf. etiam n. 139. Haec limitatio non videtur in C. contineri.

sit, *generalis absolutio* concedatur, omnes remittuntur: excepta specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, et, si alia, mala fide reticita (can. 2249).

Excommunicatio et interdictum personale, quae a sacramentorum receptione arcent, *licitam* peccatorum absolutionem impediunt, ideoque prius tollendae sunt; reliquae censurae (ex. gr. suspensio) non obstant, quominus rite dispositus a peccatis absolvatur, firma censura (can. 2250, §§ 1, 2).[1]

Quoad *formam*: quaelibet est *valida*, dummodo voluntatem absolventis satis exprimat; *convenienter* tamen adhibenda est quae in libris ritualibus exhibetur: pro *foro sacramentali* in ipsa formula absolutionis peccatorum, pro foro *externo* in specialibus formulis Ritualis et Pontificalis Romani.

35. Absolutio. II. Casus peculiares. *a) In periculo mortis*[2] quilibet sacerdos a quacumque censura absolvere valet. Principium iam iure antiquo[3] receptum, nunc expresse can. 882 confirmatum. At, si ablata censura erat *ab homine* vel a iure *specialissimo* modo Sedi Apostolicae reservata, absolutus, recuperata valetudine, tenetur recurrere ad ferentem vel successorem in *primo* casu, ad Poenitentiariam, Episcopum aliumve potestate praeditum in *altero*, nisi, uti patet, ipse sacerdos absolvens specialem habuerit facultatem. Superior statuit quaenam poenitentia et satisfactio pro admisso crimine sit praestanda. Qui recurrere cum gravi culpa negligit *reincidit* in censuram. A reliquis omnibus censuris liberatus nulla ulterius tenetur obligatione (can. 2252).

Iure hucusque vigenti necessitas adeundi superiorem tenebat etiam absolutum a censura *speciali modo* reservata. Clausulam enim imponentem obligationem «standi mandatis Ecclesiae si convaluerint», post haud levem controversiam inter DD., authentice interpretata est Congr. S. O. 19 aug. 1891 et 14 ian. 1892 importare onus recurrendi *aut* per se *aut* per confessarium ad S. Sedem, *vel* iterum confitendi apud facultatem habentem.[4] Ex hac interpretatione sequeretur omissio-

---

[1] Sane supposita in confessario necessaria iurisdictione ad absolvendum *peccatum reservatum* (cf. supra n. 33, 6 et can. 2246, § 3). Secus censura nedum licitam sed *validam* absolutionem peccati impedit.

[2] Quando mors est *vere probabilis*, sive ab intrinseco ut puta morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta; sive ab extrinseco, velut ex bello, navigatione periculosa et id genus ceteris. Ex decl. S. P. 18 mart. 1912 et 29 maii 1915 (A. VII, 282) «miles quicumque in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, *mobilitationis*, constitutus, ipso facto aequiparari *potest* iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi».

[3] *Conc. Trid.* sess. XXIV, c. 7 de r. Et cum verba generalissima sint, nulla facienda est distinctio inter varias censuras, aut inter reservatas R. P. et Ordinario. cf. *D'Annibale.* I, 349. Nec refert an praesens sit aut facile advocari possit superior vel delegatus. S. O, 29 iul. 1891 (AS XXIX, 574).

[4] AS XXIV, 746 et XXIX, 575. — cf. etiam S. O. 19 dec. 1900 (AS XXXIII, 419); 17 iun. 1891 (AS XXIV, 744); 9 nov. 1898 (AS XXXI, 402): in casu impossibilitatis recurrendi etiam per epistolam absolutio est danda sine onere, cum interpretatione extensiva 5 sept. 1900 (AS XXXIII, 226), 30 mart. 1892 (*Lega*, 146).

nem solius poenitentiae et satisfactionis non afferre reincidentiam.[1] Quo sensu etiam verba can. 2252 videntur accipi posse, at an benignior haec interpretatio, attento can. 2254, § 3, tuta sit, ambigimus.[2]

b) Extra mortis periculum a censura *non reservata* absolvit in foro sacramentali quilibet confessarius; extra quicumque iurisdictionem fori externi habeat in reum.

Iam dictum est omnes censuras *ab homine* esse reservatas: proinde ab eis absolvere valet exclusive superior qui censuram inflixit, et quidem etiamsi innodatus alio transtulerit domicilium vel quasi-domicilium, dum e contra nequit absolvere *novus* superior cuius factus est subditus (can. 2253, nn. 1 et 2).[3]

Censurae *a iure* diversimode reservantur. Unde si R. Pontifici est reservata, ab illo *vel* generalem *vel* specialem *vel* denique specialissimam opus est obtinere potestatem, ut absolutio concedi possit. Si *Ordinario* vel *Episcopo* reservatur, *quilibet* Ordinarius absolvere valet suos subditos, Ordinarius loci etiam peregrinos.[4]

c) In casibus urgentioribus confessarius *quilibet* potest absolvere ab *omnibus* censuris latae s., *quoquo modo* reservatis, in foro sacramentali.[5] Urgentior est casus si censura servari nequeat sine periculo gravis scandali vel infamiae, *aut* si durum sit poenitenti in statu lethalis peccati permanere usque dum superior provideat. *Alterutra* causa sufficit. Absolutio tamen datur cum onere recurrendi[6] intra mensem. Quae conditio *triplici* modo adimpleri potest: *aut* enim confessarius epistolam mittit ad superiorem competentem, *aut* ipse poenitens scriptis vel personaliter superiorem adit, *aut* demum ad alium confessarium facultate praeditum accedit ab eoque novam impetrat absolutionem. Quod ultimum integrum est ei etiam iam recursu facto, sed tunc exequenda sunt mandata ultimi absolventis, non ea quae a superiore forte superveniunt (can. 2254, §§ 1 et 2).

Quod si in casu *extraordinario* recursus esset moraliter impossibilis,[7] cadit eius obligatio, at confessarius debet ipse iniungere, prout res exigit, de iure iniungenda, imponere poenitentiam et satisfactionem, praefinito congruo tempore ad haec omnia adimplenda.

---

[1] cf. *D'Annibale,* I, 354, n. 20, quia deest contumacia.

[2] Nullum ex modernis (Pighi, Cappello, Caviglioli, Cerato) legimus, qui in hoc puncto distincta loquatur.

[3] Ita etiam iure antiquo. *Wernz,* VI, 175, n. 150; *Lega,* 130, 1.

[4] can. 2253, n. 3 — Ordinarius loci est Episcopus, Vicarius generalis, vel eis aequiparatus, Ordinarius simpliciter Superior generalis maior (can. 198).

[5] Ideo in *actu* confessionis.

[6] Animadvertas, in hoc casu, teneri *confessarium* ad imponendam obligationem recurrendi, secus ac in periculo mortis.

[7] Ex. gr. ob periculum sese prodendi quia epistolae aperiuntur.

Quotiescumque autem poenitens *malitiose* aut non recurrit saltem,[1] *aut,* si impossibilis recursus, mandata non exequitur recidit in censuram, i. e. novam contrahit eiusdem speciei. Moralis impossibilitas recurrendi videtur accipienda «intra mensem»;[2] haec exceptio tamen nunquam valet pro absolvente complicem,[3] ideoque ei esset, si necessitas ferret, tempus utile prorogandum (can. cit. § 3).

Antiquiore iure vigebat axioma: «Casus papales, si Papa adiri non potest, fiunt episcopales», et canonistae (innixi cc. 13, 26, 58, X. 5, 39, aliisque) docebant qui *perpetuo* impedimento laborarent absolvi posse ab Episcopo *vel* a quovis confessario absolute, qui *diuturno* sub onere reincidentiae, qui *brevi* (infra sex mens.) numquam directe, interdum indirecte. Impeditus censebatur qui *personaliter* non posset ad superiorem accedere.[4]

Noviter vero S. O. 23 iun. 1886 (AS XIX, 46) edixerat hanc doctrinam non amplius tuto teneri posse, si recursus per *litteras* pateret. Simul tamen concesserat facultatem absolvendi in casibus urgentioribus. Haec innovatio, per subcessivas declarationes explicata et ampliata (sublato etiam onere mittendi epistolam, si hoc moraliter impossibile *aut* valde durum esset)[5] novum ius C. praeparavit. Quaestio an regula valeret etiam pro reservatis dioecesanis erat hucusque sub iudice,[6] nunc sane affirmative resoluta.

Cardinales, ex speciali privilegio, valent ubique terrarum absolvere ab omnibus peccatis et *censuris* reservatis, exceptis tantum *specialissimo* modo S. A reservatis et illis, quae adnexae sunt revelationi secreti S. Officii.[7]

II. DE EXCOMMUNICATIONE

36. Notio. «Excommunicatio est *censura* qua quis excluditur a communione fidelium» (can. 2257, § 1). Cunctis gravissima poena est.[8] Segregat enim innodatum a corpore Ecclesiae, eum ab *externo* rerum sacrarum usu arcet, et *interna* bonorum spiritualium, ex publico cultu omnibus obtingentium, participatione privat, imo a *profano* cum fidelibus commercio interdum prohibet. At *mere interna* communicatio, in fide et gratia, cum anima Ecclesiae, ab hac non pendet nec impediri potest.

---

[1] In benigniore interpretatione, quae mihi nequaquam certa (cf. supra sub a).

[2] Quod innuitur per particulam: *hic.*

[3] can. 2367. S. O. 7 iun. 1899 (AS XXXII, 128). Attamen *Lega*, 146 animadvertit: «si casus fingatur sacerdotem *morbo* impediri quominus scribat, ratio non est cur excludatur ab indulto generali».

[4] *D'Annibale*, I, 349. At recentiore tempore multi affirmabant teneri, qui posset, expetere absolutionem per *litteras. Lega*, 146.

[5] S. O. 9 nov. 1898 et 5 sept. 1900 (AS XXXI, 402; XXXIII, 226). cf. etiam S. O. 16 iun. 1897 (AS XXX, 124).

[6] *Lega*, 146 (negative); *Wernz*, VI, 175, n. 161; *Hollweck*, § 41.

[7] can. 239, § 1, n. 1. In foro tamen sacramentali.

[8] Et morti aequiparatur: «per excommunicationis sententiam velut mortuus a communione fidelium separari» (c. 13, X. 4, 17).

Excommunicatio est in genere *censurarum*; ideo quae his communia sunt et ei sunt propria. Nec umquam ut poena vindicativa infligitur, neque ut censura in corpus morale cadit: unde si quando in collegium feratur, in singulos culpabiles illata intelligitur (can. 2255, § 2).

Moderno iure *unica* habetur, atque *omnes* et *solos* effectus quos lex enumerat semper secumfert; in irrogatione autem interdum peculiares sollemnitates, in Pontificali Romano descriptae,[1] adhibentur et tunc etiam *anathema* appellatur, quod nomen tamen non est exclusivum.

Excommunicati vero dividuntur in *vitandos* et *toleratos*. Quae distinctio in favorem reliquorum fidelium, ut pericula removerentur quae vetita communicatio cum omnibus excommunicatis attulisset, praecique est constituta, continet tamen simul quandam ipsius poenae exacerbationem. Quare *nemo* vitandus est, nisi qui expresse talis a iure declaratur: i. e. qui a *Sede Apostolica* nominatim excommunicatus, in sententia legitime *publicata expresse* vitari iubetur (can. 2258, § 2). Unica exceptio est de R. Pontificis percussore, qui ipso facto vitandus fit.[2] Reliqui omnes toleratis adscribuntur.

Plene excommunicati, olim, omnes a quolibet commercio, sacro et profano, cum fidelibus arcebantur. At post Martini V Const. *Ad evitanda*, 1418,[3] vitandi fuerunt, praeter notorium clerici percussorem, tantummodo qui «sententia a iudice publicata vel denunciata specialiter et expresse» excommunicabantur. Hodie, ut ex canone patet, nemo Sede Apostolica inferior (cf. can. 7) potest quemquam *vitandum* reddere. Imo ipsa prima sedes hac poena raro utitur.[4]

37. Effectus essentiales excommunicationis, cum adaequate ad unum, nempe ad totalem privationem ecclesiasticae communionis et *consequenter usus* bonorum ex ea derivantium, reducantur, *inseparabiles* sunt: tum ex natura rei tum ex legis voluntate omnes in singulis casibus sequuntur. At non eodem semper modo suam vim exerunt in relatione ad reliquos fideles: unde aliter res se habet si quis *simpliciter* est excommunicatus, aliter si per sententiam *notorius* aut *vitandus* efficitur.

a) Igitur *quilibet excommunicatus* prohibetur:

1. assistere divinis officiis, non tamen praedicationi verbi Dei;
2. sacramenta recipere;
3. sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare;[5]

---

[1] Tit. *Ordo excommunicandi et absolvendi.*

[2] can. 2343, § 1, n. 1.

[3] De duplici lectione huius decreti, quod proprie articulus est concordatorum cum natione Germanica, v. *Wernz*, VI, 181, not. 216 et praesertim *Hollweck*, § 48, n. 1, qui in app. I etiam utrumque textum affert.

[4] Exemplum recentissimum: C. Cons. 14 iul. 1915 (A. VII, 437).

[5] Actus ordinis *sacri* exercens fit etiam irregularis (can. 985, 7°).

4. actus legitimos ponere,[1] ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, privilegiis frui;
5. actus iurisdictionis utriusque fori exercere;
6. eligere, nominare, praesentare; consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones aliudve munus in Ecclesia;[2] ad ordines promoveri;
7. denique non fit particeps indulgentiarum, suffragiorum, publicarum Ecclesiae precum (can. 2259—2265).

Quare haec omnia excommunicatus *illicite* facit, nisi forte ei quaedam licita fiant sive ex generali principio (can. 2232, § 1 cf. supra n. 28) sive ex petitione fidelium; non tamen per se *invalide,* praeter casus a iure specialiter definitos (infra sub *b* et *c*). Fideles autem possunt, generatim, cum tolerato ante sententiam agere perinde ac si nulla censura esset irretitus: itaque si *passive* divinis officiis assistat non est necesse ut eum expellant (can. 2259, § 2), ab eodem, ex qualibet iusta causa, possunt sacramenta et sacramentalia petere, maxime si alii ministri desint (can. 2261, § 2), itemque actus iurisdictionis utriusque fori. Quae petitio efficit ut ipse *licite* quoque agat, quin teneatur percontari an sufficiens causa adsit (can. 2264). Et quamvis indulgentiis suffragiisque non possint eum mortuum adiuvare, non prohibentur pro eo, vivo vel mortuo, *privatas* preces fundere, nec sacerdotes, privatim et remoto scandalo, missam applicare, si excipias vitandum, pro quo mortuo nequaquam, vivo ut convertatur tantum applicare licet (can. 2262, § 2).[3]

Officia divina, ex can. 2256, 1, taxative intelliguntur: «functiones potestatis *ordinis*, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a *solis clericis* fieri queunt». His *active* assistit qui ministrando[4] participat, *passive* qui dumtaxat participat. Prohibita assistentia passiva continet pro excommunicato *dispensationem* a praeceptis audiendi sacrum, adeundi chorum, paschalis confessionis, quod ultimum tamen urget obligationem petendi absolutionem

---

[1] De iure agendi vide infra n. 38 in nota.

[2] Hucusque *invalida* erat collatio etiam occulto censurato facta. *Wernz*, VI, 193. Contra *D'Annibale*, I, 365 et *Lega* 164, quorum sententia si saltem *extrinsece* probabilis erat locum dabat applicationi principii «in dubio standum est pro valore actus». Ceterum in rescriptis *pontificiis* (non in episcopalibus) absolutio dari consueverat «ad effectum».

[3] Antiquior doctrina communis (incerto iure) in severiores sententias inclinabat. Pro *vitando* nunquam applicatio permittebatur, pro *tolerato notorio* si expresse pro eius conversione petebatur (S. O. 19 apr. 1837), pro *tolerato simpliciter* etiam in suffragium (cf. *Hollweck*, § 46, n. 6; *Wernz*, 190; *D'Annibale*, I, 360; *Lega*, 161). Recentiorum studium tamen erat rigorem temperandi, et nunc pro tolerato, etiam notorio, sacerdos privatim applicare potest ad quemcumque finem. Interdictae manent *publicae* preces pro *omnibus* (Contra hucusque *Lega*, l. c.; *D'Annibale* aliique). Haec praesertim practici momenti sunt ubi catholici cum haereticis ac schismaticis permixti vivunt. Cum Turcis et reliquis infidelibus Ecclesia mitius agit, pro eis, citra scandalum, semper applicare licet (S. O. 12 iul. 1865 ap. *Lega*, 161).

[4] Ex. gr. ut diaconus, caeremoniarius, cantor vel recitans in *publica* psalmodia, non autem, ni fallimur, ut organoeda (cf. S. O. 23 febr. 1820 ap. *Noldin*, II, 37, aliter *Cappello*, De censuris iuxta C. J. C., Augustae Taurin. 1919, 38).

a censura.[1] In rigore iuris usque ad C. vigentis etiam *toleratis* assistentia passiva non erat permittenda, at haec dispositio obsoleverat.[2]

Actus legitimi in iure nostro sunt: «munus *administratoris* gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere *iudicis*, *auditoris* et *relatoris*, *defensoris vinculi*, *promotoris iustitiae* et *fidei*, *notarii* et *cancellarii*, *cursoris* et *apparitoris*, *advocati* et *procuratoris* in causis ecclesiasticis; munus *patrini* agere in sacramentis baptismi et confirmationis; *suffragium* ferre in electionibus ecclesiasticis; *ius patronatus* exercere» (can. 2256, 2).

38. Effectus post sententiam. *b)* At si excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam *publice* designatus est, iam severius cum eo agendum. Ideo:

1. ab assistentia *activa* in divinis officiis est repellendus;[3]
2. non potest recipere sacramentalia;
3. privatur sepultura ecclesiastica, nisi ante mortem *aliqua* dederit poenitentiae signa, eius cadaver a loco sacro est removendum;[4]
4. in solo *periculo mortis* fideles possunt ab eo petere, et ipse licite impertiri, absolutionem sacramentalem, imo si alii desint ministri cetera quoque sacramenta et sacramentalia (can. 2259—2261).
5. in iudicio agere *ipse* tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem excommunicationis, *per procuratorem* ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum potest; in reliquis causis semper ei exceptio excommunicationis opponi potest, imo ex officio excludendus est (can. 1654 et 1628).[5] Qua testis ut suspectus repellitur (can. 1757, § 2),
6. *invalide* arbitrum (can. 1931), patrinum in baptismo et confirmatione (can. 765, 2 et 795, 2) agit; actus iurisdictionis ponit (can. 2264); ad beneficia eligit, praesentat, nominat; dignitates, officia, beneficia, munus (ex. gr. ius patronatus) consequitur, imo

---

[1] *Bucceroni*, Commentarius de censuris, Romae 1885, 103. Paulo severius *Hollweck* § 46, n. 7.

[2] Praeeunte *D'Annibale*, I, 362 not. 19, *Bucceroni*, 100; *Noldin*, 40; *Lega*, 161 aliique. Ex eadem ratione hodie, authentice sublata obligatione eos extrudendi, vix venialem culpam superare aestimandum est si, licet prohibiti, assistant. cf. *Cappello*, 38.

[3] Imo ad hunc effectum satis est etiam *notorietas facti*, quae quoad reliquos nihil refert (can. 2259, § 2). cf. can. 2338, § 3, infra n. 73, 4.

[4] can. 1240. Ecclesia vel coemeterium, in quibus sepultus esset, sunt violata (can. 1172, § 1, 4 et 1207), inde obligatio removendi cadaver ad reconciliationem (can. 1275), quod de *vitando* expresse iterum statuitur can. 1242. Poena in sepelientes can. 2339, v. infra n. 73, 6.

[5] Hos duos canones componere haud facile mihi videtur, cum can. 1654, § 2 excommunicatis *toleratis* facultatem standi in iudicio concedat, can. 1628, § 3 satis diserte permittat adversario ut eisdem opponat exceptionem excommunicationis. Applicato principio can. 19 (odia restringenda) difficultas forte solvitur si can. 1654, qui expresse in can. 2263 allegatur, ut limitatio can. 1628 accipiatur.

nec *pontificiam*[1] gratiam nisi in rescripto mentio de excommunicatione fiat (can. 2265, cf. can. 1453, § 1);

7. suos non facit fructus officii aut beneficii, si quod habeat, et quidem a die incursae censurae, etiamsi haec serius declaretur (can. 2266 in rel. ad can. 2232).

c) Denique *vitando* non solum eadem ac notorio applicanda sunt, sed insuper:

1. si divinis officiis assistat, *etiam passive* tantum, extrudendus est, aut si expelli nequeat, ab officio cessandum, dummodo id fieri possit sine gravi incommodo (can. 2259, § 2);[2]

2. privatur non modo fructibus, sed ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere, si quae habeat (can. 2266);

3. communionem *in profanis* quoque cum eo fideles vitare debent,[3] nisi agatur de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset (can. 2267).[4]

Iure noxios homines expellendi, quod cuiusque societatis[5] est atque Ecclesiae etiam expresse a Christo tributum (Matth. 8, 17), ipsa exemplum Pauli (I Cor. 5, 11; II Thess. 3, 14) imitata *ob originibus* usa est. *Nomina* autem plurima leguntur,[6] inter quae *anathema*, cum graece tum latine, frequenter prae ceteris adhibetur ad indicandam perfectam exclusionem ab Ecclesia. Tamen vox quoque *excommunicatio* plerumque in eodem sensu et promiscue occurrit. Sed iam inde a saec. VI, in quibusdam fontibus, anathema ut gravior poena excommunicationi opponitur, et cum, post declarationem Greg. IX in c. 59, X. 5, 39, haec altera vox *propria* facta est in iure ad plenam communionis privationem designandam, coeperunt canonistae nomen *anathematis* reservare quando infligebatur publicis ac sollemnibus caeremoniis, quae poenam augebant non vi separationis, sed horrore sollemnitatis.[7]

In *antiquissima* disciplina quaevis excommunicatio erat totalis (maior) et in reos graviorum criminum tantum ferebatur. Inde a saec. IV tamen accessit *levior* poena, quae a sola Eucharistiae participatione aut insuper a fidelium precibus excludebat.[8] Demum tempore Decretalium exorta est distinctio, usque ad

---

[1] Ideo nullitate non afficiuntur gratiae Ordinarii aliusve.

[2] Interpretes antiqui iuris docebant si, in celebranda missa, sacerdos canonem incepisset prosequendum ei fuisse usque ad consummationem, reliqua in sacristia absolvenda, adstantibus illico recedentibus. cf. *D'Annibale*, I, 360. Hodie sane cavendum est «ne quod in odium delinquentis est statutum convertatur in scandalum et damnum fidelium» (*Wernz*, VI, 191, not. 290), quod satis innuunt ipsa C. verba.

[3] Quod veteres indicabant versiculo: «Os, orare, vale, communio, mensa negatur».

[4] Alterum habes versiculum: «Utile lex, humile, res ignorata, necesse».

[5] Veteres Galli. Germani, Romani, praesertim Hebraei simile aliquid habuerunt. *Kober*, Kirchenb. 2 ss.

[6] cf. *Kober*, o. c. 32 ss.

[7] *Kober*, o. c. 37 ss.; *Devoti*, IV, t. 12, § 7. *Maranatha* nihil aliud est quam additio execrativa.

[8] *Hinschius*, IV, 705 s.

recentiorem aetatem retenta, inter excommunicationem *maiorem* et *minorem*.[1] Haec a suscipiendis sacramentis obtinendisque beneficiis arcebat, atque contrahebatur ab eo, qui cum homine maiori excommunicationi subiecto extra crimen communicabat. Quod post Martinum V de *vitandis* dumtaxat erat intelligendum et per bullam *Apostolicae Sedis* abrogatum est.[2] At antecedenti aevo adhuc severior viguit lex: usque ad saec. XII commercium etiam in profanis cum quolibet excommunicato maiorem excommunicationem afferebat, et primus Greg. VII uxores, liberos, servos et ignorantes ab ea incurrenda dispensavit (c. 103, C. 11, q. 3).[3]

De **insordescentia** in excommunicatione v. infra n. 73, 7.

III. DE INTERDICTO

39. Notio et divisio. «Interdictum est *censura* qua fideles, *in communione* Ecclesiae *permanentes,* prohibentur sacris» quibusdam, quae a lege canonica enumerantur (can. 2268, § 1). Est igitur privatio quae *directe* infertur, non *consequenter* ut fit per excommunicationem, et in hoc interdictum ab ea distat; est privatio quae removet ab usu tum activo tum passivo *fideles in genere,* non ab exercitio potestatis *clericos tantum,* et in hoc differt a suspensione. Quare theoretice distinctio a reliquis censuris est adaequata, licet practice unus vel alter effectus illis communis esse possit.[4]

Interdictum ut poena vindicativa quoque fertur,[5] sed hic ut *censura* consideratur. Potest autem aut *personale* esse, si personam attingit, eamque quocumque eat sequitur, aut *locale* si certum locum afficit et per locum indirecte personas omnes, etiam exteras aut exemptas, quae ibi versantur (can. 2268, § 2 et can. 2269, § 2). Utrumque vel generale vel particulare est. *Generale* interdictum dicitur, ratione loci, cum ad territorium integrae nationis, provinciae, dioecesis, civitatis, paroeciae extenditur; *particulare* quando ad unum vel plura certa loca sacra. Ubi hoc notandum; «interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria *etiam exempta* et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coeme-

---

[1] *Hinschius,* V, 16-19. In Const. *Apost. Sedis* nulla amplius excomm. minor continebatur. Inde interpretes concludebant eam a iure communi exulasse (cf. S. O. 5 dec. 1883, AS XVII, 555). At admittebant eam ab homine adhuc ferri posse, quamvis practice vix hoc occurreret. *Hollweck,* § 45.

[2] Successerant duae excommunic. *maiores* simpliciter reservatae (29 et 30) in communicantes cum excommunicato nominatim a *Papa* in crimine criminoso, *et* in *clericos* scienter et sponte cum eiusmodi in divinis communicantes. cf. hodie can. 2338, § 2, infra n. 73, 2 et 3.

[3] *Hinschius,* V, 5.

[4] *Suarez,* d. XXXII, s. 1.

[5] cf. can. 2291, 1 et 2.

terio erecta» (can. 2273).[1] Quoad personas, *generale* est interdictum si vel in totum clerum, vel in totum populum (et in neutro casu altera pars continetur, nisi aliud aperte cautum sit)[2] vel in clerum *et* populum, vel in collegium fertur; *particulare* si certos homines expresse designatos tenet.

Episcopus potestatem habet ferendi interdictum *generale* in paroeciam vel paroeciae populum, ac *particularia* quaecumque, reliqua interdicta Sedi Apostolicae sunt reservata[3] (can. 2269, § 1). Gravissima poena est interdictum, maxime generale, atque periculis plena; ideo non nisi ex *gravissima causa* constituendum, praesertim his temporibus. Et quia praecipue *socialis* poena est, cum delictum aut commune aut saltem eorum qui nomine publico agunt requirit, tum, hoc dato, *iusta* invenitur, licet innocentes quoque feriat.[4]

De *historicis originibus* interdicti liquido haud constat. *Rem,* sub variis nominibus, sed nondum perfecte ab excommunicatione — ex qua sese nova poena evolvit — distinctam, iam saec. VI exeunte praeformatam extitisse valde verisimile videtur, *nomen* proprium inde a fine saec. X apparet, simulque etiam usus crebrior fit.[5] Ab hoc tempore certa lineamenta iuridica interdictum ostendit, ad integras dioeceses, regiones vel populos extenditur, praesertim ad violatores pacis cohibendos et ad contumaciam principum frangendam saepe ac efficaciter adhibetur. Notissima sunt magna interdicta Alex. III (in Scotiam 1180) et Innoc. III (in Galliam 1200, in Angliam 1208). Haec de locali; *personale* interdictum, quod magis rationem excommunicationis cuiusdam minoris habet, iam saec. IV notum fuisse ambigendum non videtur.[6] Tertia insuper species medio aevo extitit *interdictum ambulatorium* seu mixtum, cuius nota erat ut interdiceretur quicumque locus, quo persona interdicta se contulisset, at dum ibi praesens esset dumtaxat.[7]

Initio interdictum maximo rigore, *omnium sacrorum* intermissione, urgebatur. At cum et nimis durum, et interdum nimis protractum,[8] et haud raro

---

[1] Applicatio principii «accessorium sequitur principale», unde cum hodie, secus ac antiquitus, coemeterium generatim separatum sit ab ecclesia, huius sortem non sequitur. Civitas olim intelligebatur «intra muros», *loca continentia* quae non ultra milliare distarent. Nunc, muris fere ubique deiectis, res ex aliis criteriis (iuridicis) erit dimetienda. *Contigua loca* sunt quorum extremitates sese contingunt. cf. *D'Annibale,* I, 373.

[2] Imo retinenda videtur opinio antiquorum, interdicto *toto clero* excipi regulares (nisi ex sententiae verbis aut ex adiunctis aliud colligendum); non vero altera, excipi praelatos inferiores, dignitates, canonicos. cf. *Hollweck,* § 58; *Kober,* l. c. 229 ss. Episcopus ex can. 2227, § 2 eximitur.

[3] Idem, quamvis lege non esset statutum, DD. iam ante C. tradebant« ex vigente praxi Ecclesiae». cf. *Wernz,* VI, 221, not. 504.

[4] Criminationibus multorum (cf. *Kober,* Das Interdict in AK XXI (1869) 29 ss.; *Hinschius,* V, 25) ex hoc capite, iam egregie responderunt antiquiores DD. ex. gr. *Suarez,* d. XXXVI, s. 3; *Devoti,* l. c. p. 247.

[5] De hac controversia v. *Devoti,* l. c. p. 143 ss.; *Kober,* l. c. 2ss.; *Hinschius,* IV, 804 ss. V, 19 ss.

[6] cf. *Hinschius,* IV, 706-715, V, 13 ss., 31 ss. qui tamen contendit interdictum personale a locali specifice differre.

[7] Primum exemplum 1119 (Callistus II). *Hinschius,* V, 31; *Kober,* l. c. 302.

[8] Per tres, sex, duodecim, imo triginta et sexaginta annos. *Kober,* l. c. 38.

ab episcopis ex levioribus rationibus vel praecipitanter constitutum esset, non paucis incommodis et querelis causam dabat.[1] Quare R. Pontifices mature illud emollire studuerunt. Quod iampridem assolebat, ut parvulorum *baptismus* et morientium *poenitentia* exciperetur, Alex. III lege sanxit;[2] Innoc. III permisit ut pueris *confirmatio*, decedentibus *viaticum*, clericis qui interdictum servaverant *sepultura* tribueretur, populo *verbum Dei* nunciaretur, in ecclesiis monasteriorum, clausis ianuis, divinum officium celebraretur;[3] Greg. IX addidit licentiam celebrandi privatam *missam* semel in hebdomada in paroecialibus,[4] denique Bonif. VIII in celebri const. *Alma Mater*[5] magis etiam interdictum lenivit lata lege ut sanis omnibus, modo non excommunicatis, poenitentia tribueretur, in cunctis ecclesiis missa quotidie et officia privatim celebrarentur, in quattuor principalioribus festis (quibus Martinus V festum Corporis Christi addidit) sollemniter divina peragerentur. Decursu temporis accesserunt praeterea plura *privilegia* principibus, monasteriis, ordinibus religiosis etc. concessa, quibus exemptiones ab interdicto generali continebantur.

Recentiore iure, post const. *Apost. Sedis* nullum erat amplius interdictum locale latae sententiae, quinque tantum personalia. Et iam videbatur haec poena fere obsolevisse.[6] At his ultimis annis, opportunis limitationibus, iterum iterumque lata est, nec sine bono exitu,[7] atque nunc in C. in tali forma confirmatur.

40. Interdictum locale. Ex natura rei interdicti *effectus* sunt *separabiles*, ideoque a voluntate ferentis pendent, qui tamen (excepto R. Pontifice) dispositiones iuris communis attendat oportet. Igitur, durante interdicto locali, vetitum non est *morientibus* sacramenta et sacramentalia ministrare; in ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido *unam missam* celebrare, sanctissimum sacramentum asservare, baptismum (etiam sollemniter), eucharistiam, poenitentiam administrare, matrimoniis sine nuptiali benedictione assistere, mortuis iusta facere, seclusa quavis sollemnitate, aquam baptismalem et olea benedicere, verbum Dei praedicare (can. 2271, § 2). Praeterea in die Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostis, Corporis Christi, et Assumptionis B. M. V. interdictum locale *suspenditur*, et prohibetur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio (can. 2270, § 2).

Ceterum interdictum locale prohibet generatim in territorio omnia *divina officia* et *sacros ritus* (can. 2270, § 1). Peculiariter:

a) si interdictum est *generale*, licet quidem clericis, qui personaliter non sint interdicti, officia et ritus in quacumque ecclesia aut ora-

---

[1] cf. *Kober*, in AK XXII, 21 ss.

[2] c. 11, X. 4, 1.

[3] c. 43, X. 5, 39; c. 11, X. 5, 38.

[4] c. 57, X. 5, 39.

[5] c. 24 in VI. 5, 11 cf. etiam c. 19 eod.

[6] De interdictis post Conc. Trid. latis v. *Kober*, l. c. XXII. 47 ss.

[7] In civitatem *Adria*, decr. C. Cons. 30 sept. 1909 (A. I, 765); in civitatem *Galatina* C. Cons. 10 dec. 1913 (A. V, 517 et VI, 8).

torio obire, at privatim, clausis ianuis, voce submissa, campanis non pulsatis. Functiones vero, quae in cathedrali aut paroeciali pro necessitate fidelium fiunt, sine cantu et pompa in sacra supellectili et sonitu campanarum, organorum aliorumve instrumentorum musicalium locum habere debent. Viaticum ad infirmos privatim est deferendum (can. 2271, § 2).

b) si est *particulare* altaris vel sacelli nihil in eis faciendum; si coemeterii cadavera ibi sepeliri quidem possunt sed absque ullo ritu; si ecclesiae capitularis Capitulum *non* interdictum potest privatim suo munere fungi; si ecclesiae paroecialis permittuntur ea quae necessitas curae animarum expostulat, ut supra dictum est. In utroque autem casu, qui interdictum fert potest in decreto aliam ecclesiam substituere, et tunc in interdictis nihil fas est agere (can. 2272).

Confirmatio, quae hucusque in loco interdicto libere conferebatur, nunc est prohibita, quia iam a baptismo separatim consideratur.

41. Interdictum personale, pro modo quo constituitur, effectus producit vel in communitatem seu collegium uti talia, vel in eos qui admissi delicti rei sunt. Semper tamen qui interdicto locali aut interdicto in communitatem *causam dederunt* sunt ipso facto personaliter interdicti.[1] *Communitas* interdicta nequit ius ullum *spirituale* exercere quod ei competat (can. 2274, § 3).[2] Quoad *singulos delinquentes* vero, interdictum quo plectuntur est peculiaris poena cum vi strictae censurae, ex qua prohibentur:

1. celebrare officia divina eisve, excepta praedicatione verbi Dei, assistere;[3]

2. sacramenta et sacramentalia ministrare, conficere et recipere;[4]

3. eligere, praesentare, nominare; consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones aliudve munus in Ecclesia; ad ordines promoveri;

4. recipere sepulturam ecclesiasticam (can. 2275).

Quae omnia iuxta easdem normas quae de excommunicatis ante vel post sententiam vigent (cf. supra nn. 37, 38) intelligenda sunt. Non vetantur *actus legitimi* et intacta manet *iurisdictio*, si excipias, post sententiam, eam quae ad confessiones spectat atque ius valide excipiendi nupturientium consensum.[5] Praeterea effectus ad *solos personaliter cul-*

[1] can. 2338, § 4.

[2] Effectus interdicti *personalis generalis* erant iure antiquo plures et graviores, etiam quoad innocentes, cf. *Holkweck,* § 54. Tamen iure novo quoque, ex can. 2272, § 3, 1 sequi videtur non licere Capitulo interdicto officia divina celebrare.

[3] Violatio huius prohibitionis, post sententiam, poenas affert. cf. can. 2338, § 3 et can. 985, 7 (irregularitas).

[4] Poena in can. 2364.

[5] can. 873, § 3 et can. 1095, § 1, 1.

pabiles coarctantur, nam innocentes generales dumtaxat privationes sustinere tenentur et «qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, sacramenta recipere sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione» (can. 2276).

Partiale quoddam interdictum est illud quod vocatur *ab ingressu ecclesiae*, et cum ut censura tum ut poena vindicativa fertur. Olim frequentius, hodie iure communi in tribus tantum casibus comminatur. Nihil impedit vero superiores competentes ne illud ad alios quoque extendant. Importat prohibitionem divina officia celebrandi eisve assistendi in *ecclesia*[1] et privationem ecclesiasticae supulturae, nulla autem est fidelibus obligatio sic interdictum expellendi aut e loco sacro exhumandi (can. 2277).

Analogiam cum interdicto habebat antiqua *cessatio a divinis*, quae tamen vera poena non erat, sed potius dispositio administrativa, qua clerici prohibebantur divina officia peragere et sacramenta administrare in peculiari ecclesia. Occasione enormis criminis, in loco sacro praesertim admissi, ut Ecclesia suum moerorem ostenderet populo salutaris horror incuteretur, ferebatur; illam violare omnibus gravis culpa, regularibus excommunicationis causa erat.[2]

IV. DE SUSPENSIONE

42. Notio et divisio. «Suspensio est *censura* qua *clericus* officio *vel* beneficio *vel* utroque prohibetur» (can. 2278, § 1). Est igitur poena clericorum propria atque bona eis peculiaria, non omnibus fidelibus communia, adimit, et per hoc satis tum ab excommunicatione tum ab interdicto distinguitur. Qua censura, data satisfactione, tollitur; quodsi in perpetuum aut ad certum tempus feratur, vindicativa poena est.[3]

Ipsa definitio *tripartitam* suspensionis divisionem exhibet. Prima et altera (ab *officio*, a *beneficio*), quoad effectus, ab obiecto limitatur, tertia (ab *utroque) generalis* dicitur et nedum utriusque effectus cumulat, sed et proprios addit (can. cit. § 2). *Specialis* vero etiam divisibilis est arbitrio superioris,[4] et ideo eam distinguimus in *totalem*, quae omnes effectus iure communi statutos, et *partialem*, quae singulos a ferente determinatos producit. Ubi notandum est suspensiones latae sententiae

---

[1] Iam antiqua doctrina haec permittebat in *oratoriis privatis*, quod hodie extendendum videtur ad publica et semipublica, utpote quae in C. expresse distinguuntur ab ecclesiis. Sepultura vero vetabatur universim in loco sacro.

[2] cf. *Devoti*, o. c. IV, 250; *Wernz*, VI, 235 ss.; *Hilarius a Sexten* 92.

[3] can. 2298, 2.

[4] Imo, inter omnes poenas, suspensio maximam varietatem accipere potest, proinde ad delicta clericorum iuste punienda aptissima censetur.

Codicis ubique terrarum valere, utpote quae ab universali legislatore latae, suspensionem Ordinarii loci, e contra, territorium non egredi si officium vel beneficium spectat,[1] at in territorio omnia amplectitur nisi aliud caveatur, suspensum sequi si ab ordine est (can. 2281 et 2282).

Suspensio *antiquissima* poena est. Indignos a munere, imprimis sacro, amovere tam planum est, ut omni tempore quaelibet societas hoc remedio usa sit.[2] At si graviora crimina clericorum Ecclesia irreparabili poena *depositionis* castigavit, in levioribus mature contenta fuit eos ab officii exercitio *suspendere,* sive usque ad emendationem sive etiam in perpetuum; quod alterum quoque mitius depositione erat quia et status dignitatem et omnem spem restitutionis non auferebat.[3]

Prioribus saeculis clericus ab officio suspendebatur at simul *et* ab ordine *et* a reditibus arcebatur, cum haec arcte coniuncta haberentur, quamvis interdum muneris administratio, regulariter maior vel minor pars fructuum ad sustentationem, reliquis iuribus sublatis, concessa legatur. Cum autem beneficia constituta sunt, suspensio *a beneficio* vel sola vel ut exacerbatio suspensionis ab officio irrogari coepit;[4] invalescentibus dein ordinationibus absolutis, saec. XI etiam suspensio ab ordine apparet. Sed iam antiquiore aevo, saltem inde a saec. VI,[5] inferebantur *partiales* quoque suspensiones, quae etiamnunc in iure nostro usuveniunt.

43. Suspensio ab officio, si *totalis* est, quod praesumitur nisi expressis verbis limitetur, «vetat omnem actum tum potestatis *ordinis* et *iurisdictionis,* tum etiam merae *administrationis* ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii» (can. 2279 § 1). At, cum effectus divisibiles sint atque a voluntate superioris pendeat utrum quispiam ex integro an partialiter suspendatur, C. accurate determinat quid in singulis casibus censura importet.

Itaque *a)* suspensio *a iurisdictione* vetat omnem actum huius potestatis, pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae, non tamen actus *administrationis,* quae a iurisdictione stricte accepta, ut idem canon (§ 1) insinuat, est distinguenda.[6] Actus positus est quidem *illicitus* at *validus,* imo etiam licitus fit, si a fidelibus ex iusta causa petatur; lata vero sententia condemnatoria vel declaratoria aut si superior declaret se

---

[1] Ita authentice resoluta est antiqua controversia, de qua v. *Wernz,* 208, not. 405.

[2] v. *Kober,* Die Suspension der Kirchendiener, Tübingen 1862, 2 ss.

[3] *Hinschius,* IV, 731 ss.; *Kober,* o. c. 20.

[4] Altero modo iam saec. XI, primo in secunda medietate saec. XII. *Hinschius,* V, 69.

[5] *Hinschius,* IV, 734. Remotiora, at non ita certa, exempla ap. *Kober,* o. c. 22 ss. — Reductio ad *communionem peregrinam,* qua clerico sustentatio et habilitas ad officium conservabatur, ab aliis ut *suspensio,* ab aliis ut mitior *excommunicatio,* ab aliis denique ut temperata *depositio* accipitur. cf. *Kober,* o. c. 10 ss.; *Hinschius,* IV, 734 ss.

[6] Aliud quidem iure antiquo (cf. *Lega,* 187; *Suarez,* d. XXVI, s. 4, n. 16; contra, at timidus, *D'Annibale,* I, 380, n. 13); sed hodie ita prorsus sentiendum videtur cum textus benignae interpretationi faveat. Ex eadem ratione licet parocho suspenso *ab iurisdictione* (non ab officio cf. can. 1095, § 1) matrimonio assistere, quod est munus *testis auctorizabilis.*

ipsam iurisdictionis potestatem revocare *invalidus* est, excepto mortis periculo (can. 2284 in rel. ad can. 2261, §§ 2, 3).

Ex eodem principio existimanda erit etiam *delegatio* a suspenso concessa; *potestas* autem ipsa delegata non silet aut cessat suspensa aut revocata iurisdictione delegantis, nisi in casibus a iure praevisis [1] aut nisi agatur de Vicario generali, Episcopo suspenso. [2]

b) Suspensio *a divinis* omnem actum potestatis ordinis quam quis *sive* per sacram ordinationem *sive* per privilegium (ex. gr. abbas aliusve sacerdos) [3] obtinet, *ab ordinibus* actum proprium cuiuscumque ordinis, *a sacris ordinibus* maiorum tantum actum prohibet; item suspensio *a certo et definito ordine exercendo* vetat omnem actum ordinis designati necnon superiorem ordinem recipere et, si nihilominus recipiatur, exercere,[4] *a certo et definito ministerio* vel *officio* omnem actum eiusdem ministerii vel officii, *ab ordine pontificali* omnem actum potestatis ordinis episcopalis, [5] *a pontificalibus* exercitium actuum pontificalium, idest functionum quae ex legibus liturgicis requirunt baculum et mitram [6] (can. 2279, § 2).

Ex quibus sequitur nefas esse Episcopo *ullum ordinem conferre* (imo nec tonsuram) si suspensus est a divinis, vel ab ordinibus, vel a sacris ordinibus, vel ab ordine pontificali vel denique a pontificalibus; *unum tantum* si suspensus est *a certo et definito ordine conferendo,* reliquos omnes superiores et inferiores conferre posse; [7] denique si quis suspensus est ab ordine exercendo prohibitum esse ei dare ordinem superiorem.

Etsi suspensio ea sit quae vetet administrationem sacramentorum et sacramentalium (generalis, ab officio, a divinis, ab ordinibus), *nec* fidelibus, ex qualibet iusta causa, interdictum est ea petere *nec* rogato suspenso ea licite ministrare, dummodo non habeatur sententia condemnatoria vel declaratoria, quia tunc in solo mortis periculo possunt fideles

---

[1] can. 207 et can. 61. Haec exceptio vix umquam occurret.

[2] can. 371.

[3] cf. can. 294, § 2; can. 323, § 2; can. 782, §§ 2, 3; can. 951; can. 1147, § 1.

[4] Et qui exercet fit irregularis, can. 985, 7.

[5] Ordinare (can. 951), confirmare (can. 782, § 1), consecrare ecclesias, altaria etc. (can. 1147, § 1).

[6] can. 337, § 2. Quae, iuxta Caerem. Episc. et Pontif. Rom. hae sunt: missa et vesperae pontif., sollemnis assistentia missae, collatio ordinum et consecratio episcopi, benedictio abbatis, benedictio et consecratio virginum, benedictio et coronatio regum, benedictio aut consecratio campanae, consecratio ecclesiae, altaris, vasorum sacrorum, benedictio primarii lapidis, coemeterii, huius aut ecclesiae reconciliatio, confirmatio si sollemniter fiat.

[7] Et *praesumentes* recipere ordines a suspenso, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, contrahunt, ipso facto, *suspensionem* a divinis S. A. reservatam; qui autem bona fide suscipiunt carent exercitio ordinis (can. 2372).

a censurato sacramentalem absolutionem, et, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia postulare (can. 2284 in rel. ad can. 2261).

Iure antiquo plura, aut certa aut controversa, vigebant quae nunc sublata sunt. *Communis* erat doctrina non posse qui a determinato ordine suspendebatur functiones *superioris* exercere, aut omnino aut saltem si exercitium inferioris includerent (ex. gr. sacerdos suspensus a diaconatu missam celebrare, quia evangelium legere diaconi est);[1] item communis suspensum ab officio *inhabilem* esse ad aliud officium aut beneficium recipiendum, quem tamen alii *indignum* potius dicebant;[2] eumdem amittere vocem activam et passivam.[3] Quod ultimum dumtaxat quatenus specialis adest legis dispositio etiamnunc valet.[4]

Utrum solummodo suspensus a certo et definito ordine exercendo prohibeatur superiorem recipere, an etiam, uti fere omnes antiquiores docebant,[5] suspensus ab officio, a divinis, ab ordinibus in C. perspicuum non est. Intrinseca ratio videretur alterum innuere, regulae interpretationis can. 19, 20 et 2219, § 3 primum suadere.

44. Suspensio a beneficio, intactam relinquens cum ordinis tum iurisdictionis potestatem, imo ipsum beneficium quoad titulum iura et obligationes non attingens, *fructibus* dumtaxat privat, excepta habitatione in aedibus beneficialibus, e quibus nimio cum dedecore status clericalis suspensus extruderetur (can. 2280, § 1). Quid nomine beneficii veniat, stricte quidem at iuxta modernum ius dimetiendum est. Unde, dum vicariae paroeciales non perpetuae, cappellaniae laicales, coadiutoriae cum aut sine futura successione, pensiones personales, commenda temporaria illa appellatione non continentur, *possunt* hodie, e contra, contineri etiam certae et voluntariae fidelium oblationes, *aut* iura stolae intra fines taxationis dioecesanae vel legitimae consuetudinis, *aut* chorales distibutiones.[6]

Fructus *ipso iure*, a momento suspensionis, amittuntur; idcirco beneficiatus qui eos nihilominus percipiat suos non facit et ad restitutionem (in favorem ecclesiae aut pauperum) tenetur in *utroque* foro, eademque in externo canonicis etiam poenis urgeri potest. Beneficii administrationem vero, pro regula, conservat; ut hac quoque privetur necessaria est specialis superioris dispositio (can. cit.).

Ius antiquum, in hac parte, multimode immutatum est. Et primo quidem suspensio a beneficio, hactenus administratione quoque semper privabat:[7] hodie contrarium principium statuitur. Dein controversia erat an quis, ante iudicis sententiam, teneretur illegitime perceptos fructus restituere:[8] nunc de hoc am-

---

[1] *Hollweck*, § 60, n. 2.; *D'Annibale*, I, 380, not. 10; *Hilarius a Sexten*, 72.
[2] *D'Annibale*, I, 384; *Lega*, 192; *Wernz*, VI, 209.
[3] *Lega*, 189; *Hollweck*, § 62.
[4] can. 167, 3; can. 2283.
[5] *Hollweck*, § 61, n. 2; *Suarez*, d. XXVI, s. 4, n. 8.
[6] cf. can. 1412 et 1410.
[7] *Hollweck*, § 63; *Wernz*, VI, 211; *Hilarius a Sexten*, 73 etc.
[8] cf. *D'Annibale*, I, 382, not. 31.

bigendum non est. Sed praesertim in determinando qui fructus sint beneficiales nobis alia regula, ac antiquioribus, est utendum. Olim satis *communiter* reditus stolae, oblationes fidelium, taxae, *probabiliter* distributiones quotidianae[1] et complementum congruae ab aerario datum excludebantur. Novo iure, pro diversitate regionum, haec omnia *possunt* constituere canonicam dotem beneficii, ideoque inter huius fructus computari. Possunt at non debent, ut ex can. 1410 qui disgiuntive loquitur patet, unde falsa esset conclusio per suspensionem a beneficio haec *semper* adimi:[2] potius a locorum conditione atque ab expressa voluntate poenam ferentis, quid iuris sit, erit colligendum.

45. Suspensio generalis, quae totales suspensiones *et* ab officio *et* a beneficio cum earum effectibus continet, atque lata intelligitur quotiens sine circumscriptione pronunciatur, illud habet *insuper* proprium ut eiusmodi suspensus nequeat:

1. eligere, praesentare, nominare;

2. consequi dignitates, officia, beneficia, pensiones, aliudve munus in Ecclesia;

3. promoveri ad ordines.

Quae omnia ei *illicita* sunt, et si per sententiam de censura constet, etiam, exceptis ordinibus, robore *carent*, haud secus ac quaelibet gratia *pontificia* forte impetrata, nisi in rescripto mentio de suspensione fiat (can. 2283 in rel. ad can. 2265).

Pari ratione ac interdictum suspensio ferri potest etiam in *communitatem*, quae tunc omnium *suorum* iurium *spiritualium* exercitio prohibetur. Quodsi praeterea singula membra suspendantur, allatae normae sunt attendendae (can. 2285).

B. De poenis vindicativis

I. DE HIS POENIS IN GENERE

46. Notio et divisio. Quamvis etiam censura sit poena, tamen hoc nomen maxime proprium est *poenae vindicativae* «quae *directe* ad delicti *expiationem* tendit ita ut eius remissio a cessatione contumaciae delinquentis non pendeat» (can. 2286). Haec igitur delictum respicit potius quam delinquentem et vindictam socialem per expiationem quaerit, censura, e contra, imprimis delinquentis emendationem, qua obtenta iam suo munere functa absolutione est tollenda. In qua diversa natura querenda est etiam ratio cur eadem poena, pro modo quo infligitur, vel medicinalis vel vindicativa esse possit (e. g. interdictum, suspensio) et

---

[1] De his erat praecipua controversia, v. *D'Annibale*, I, 382; *Hollweck*, § 63; *Pennacchi* Commentaria in Constit. A. S. II (Romae 1883) 351.

[2] Quapropter non possum assentiri interpretationi, quam dat *Cappello*, 166.

cur, dum a censuris possumus appellare in devolutivo tantum, ab inflictis poenis vindicativis detur appellatio seu recursus in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur (can. 2287), propter publicam utilitatem aut aliam gravissimam causam.

Etiam poena vindicativa in *privatione* aliquorum bonorum sive spiritualium sive temporalium consistit.[1] Poenae afflictivae in moderna disciplina non amplius inferuntur. Ideo distinguitur in *spiritualem* et *temporalem*; praeterea vel *latae* vel *ferendae sententiae* esse potest.

Ceterum quae de poenis universim dicta sunt his quoque sunt applicanda.

Complures poenae temporales et praesertim corporales nunc a foro canonico penitus recesserunt. Poenam *mortis* et *mutilationis* Ecclesia numquam tulit, melior sententia eidem hanc potestatem, utpote ad eius finem assequendum non necessariam, denegat.[2] Fustigatio, carcer, exilium, relegatio, bonorum publicatio aliaeque ex iure Romano vel Germanico derivatae, durante medio aevo dum homines moresque feri ac duri essent, magno in usu fuerunt,[3] at iam post Conc. Trid. obsoleverunt, si excipias incarcerationem in mitiore forma commorationis in monasterio, imo haec pro clericis etiam in C. retenta est.

47. Cessatio. Poena vindicativa, natura sua et ordinario modo, post luitionem cessat. Tamen remitti etiam potest per gratiam, quae *dispensatio* appellatur atque, secus ac absolutio a censura, non est actus debitus potestatis iudicialis, sed actus liber potestatis legislativae (can. 2289).

De *competentia* ad dispensandum iam suo loco diximus. Principium generale est nonnisi eum qui poenam tulit posse eam tollere; at nihilominus Ordinarii complures poenas iuris communis remittere valent (v. supra nn. 29 et 30).

Praeterea «in casibus *occultis* urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, *quilibet confessarius* potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae *suspendere*» (can. 2290, § 1).

Quae facultas eodem modo interpretanda est ac potestas absolvendi a censuris (de qua v. n. 35, c), atque *omnes* casus occultos complectitur. At poenem tantummodo *suspendit*; ut ab ea definitive liberetur delinquens recurrere debet saltem intra mensem per epistolam aut[4] per con-

[1] cf. can. 2215.

[2] De hac agitata controversia, quae mere theoretica est, cf. *Cavagnis*, o. c. I, 307 ss. *Tarquini*, Iuris eccl. publ. instit.[14] (Romae 1892) p. 42; *Rivet*, o. c. 90 ss.; *Choupin*, Valeur des décisions doctrinales et disciplinaires du S. S.[2] Paris 1913, 511 ss.

[3] cf. *Hinschius*, IV, 803 ss.; V, 36 ss. 51 ss.

[4] Dicitur quidem in textu can. 2290 (idemque in can. 2254, § 2) «*et* per confessarium» at non putamus mutatum esse ius antiquum, prout illud intellexerunt interpretes decretorum S. O. (facultative).

fessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum, qui eum, imposita aliqua reparatione, cum opportunis conditionibus dispensabunt. Confessarii est ei hoc onus iniungere, quodsi in aliquo casu extraordinario recursus sit impossibilis, ipsemet competens fit ad dispensandum at simul tenetur reparationem et poenitentiam suo prudenti arbitrio imponere (can. cit. § 2).

Quae dispensatio valet sane pro *foro interno* dumtaxat, at ex can. 2232 ut quis teneatur, cum sua infamia, poenam in foro externo observare requiritur sententia declaratoria vel condemnatoria vel notorium, quae omnia in casibus occultis nimirum desunt.

48. Damnatio conditionalis. Specialis modus remittendi poenam vindicativam est novum institutum iuridicum *damnationis conditionalis.* Ipsa lex delinquenti gratiam concedit, quibusdam existentibus conditionibus, sed simul prudentiae iudicis, qui de admisso crimine sententiam profert, remittit arbitrium decernendi an reus favoris particeps faciendus sit necne. Unde *actus iurisdictionis* magistratus prorsus necessarius est (can. 2288).

a) Conditionales possunt esse *omnes sententiae*, dummodo poena inflicta sit *ordinaria,* ea nempe quae iure statuitur,[1] et non agatur de degradatione, depositione, privatione officii aut beneficii, denique non urgeat necessitas reparandi, criminis ultione, scandalum.

b) Beneficii *capax* est reus qui *prima vice* post vitam laudabiliter peractam deliquit.

c) Effectus est ut poena interea per triennium *suspendatur.* Si durante hoc tempore reus aliud delictum eiusdem vel alterius generis committit, praeter poenam huius propriam etiam suspensam luere debet; si innoxius vivit elapso triennio poena deletur.

Finem, quem moderni legislatores damnatione conditionali intendunt, Ecclesiam in suo iure iamdiu assecutam esse ostendimus (n. 21). Ipsum institutum autem est novum et in hac forma e codicibus civilibus, qui nuperrime illud admiserunt,[2] in nostrum derivatum.

II. DE POENIS VINDICATIVIS COMMUNIBUS

49. Quaenam sint. Si poena ea est ut privet bonis quae omnibus fidelibus competunt, indiscriminatim in clericos laicosque constitui potest

---

[1] Ideo non iam a iudice mitigata aut substituta vi can. 2233, § 3, 3.° Ita intelligenda est vox «ordinaria» quae in uno hoc loco C. occurrit. Aliter, at meo sensu non recte, *Cerato,* 138.

[2] Status foederati Americae sept. primi (1878), deinde Anglia, Belgium, Gallia (l. 26 mart. 1891), Lusitania, Helvetia, Italia (l. 26 iun. 1904 n. 267 cf. etiam CI aa. 26, 27). Nondum in Germania.

seu est *communis*. Harum duodecim enumerat C., at index non est taxativus (can. 2291). Sunt: *1.* et *2. interdictum* locale, in collegium vel ab ingressu ecclesiae; *3.* poenalis *translatio* vel *suppressio* sedis episcopalis (quae R. Pontifici est reservata) vel paroecialis (quae ab Ordinario nonnisi cum consilio capituli decerni potest, can. 2292); *4.* privatio *sepulturae* ecclesiasticae; *5. sacramentalium; 6. pensionis* vel alius iuris seu privilegii ecclesiastici, quae poena fertur etiam ut *suspensio* ad certum tempus; *7.* remotio ab *actibus legitimis; 8. inhabilitas* ad gratias aut munia ecclesiastica vel ad gradus accademicos auctoritate ecclesiastica consequendos, ubi tamen notandum est iure communi habilem unam Sedem Ap. inhabilem reddere posse, inhabilitatemque non afficere praeteritum (can. 2296), quocirca ut iura iam quaesita amittantur requiritur nova poena, i. e. *9. privatio* muneris, facultatis vel gratiae iam obtentae; *10.* privatio iuris *praecedentiae* vel *vocis activae et passivae* vel iuris ferendi titulos honoris, vestem, insignia quae Ecclesia concesserit; *11. mulcta* pecuniaria, quae, ut omnis avaritiae suspicio avertatur, numquam in commodum mensae episcopalis aut capitularis est deputanda, sed, nisi aliud ipsum ius statuat, in pios usus eroganda (can. 2297).[1]

Denique duodecima poena et *infamia iuris.*

50. Infamia. Bonum nomen nostrum vel in lege vel in communi existimatione nititur. Inde definitio *famae* in iure Romano et canonico: «dignitatis inlaesae status legibus ac moribus comprobatus».[2] Per se patet leges moresque *christianos* atque iura *ecclesiastica* hic referre.

a) *Infamia* est bonae famae defectus. Ex dictis facile intelligitur ea quis affici posse quia probi et graves fideles eum parvi aut nihili faciunt propter admissum scelus aut inhonestam vitam. Haec dicitur *infamia facti,* suis effectibus in iure non caret et Ordinarii est iudicare quando adsit (can. 2293, § 3).

Attamen vera poena non est nisi *infamia iuris.* Haec in lege statuitur, in casibus expresse definitis contrahitur atque in positiva privatione quorumdam iurium socialium consistit (can. cit. § 2). Unde patet inter utramque discrimen, et colligitur cur altera cum altera necessario non sit coniuncta, imo infamia facti plerumque sine infamia iuris habeatur.

Sequitur etiam infamiam iuris, quippe quae poena iuris communis est, sola *dispensatione* Sedis Apost. tolli posse, at hac impetrata statim

---

[1] Quod, ad tollendos veteres et novos abusus, Conc. Trid. sess. XXV, c. 3 et c. 14 de r. statuerat atque C. C. deinde saepius confirmavit.

[2] l. 5, D. 50, 13.

cessare etiamsi perduret infamia facti; hanc, e contra desinere recuperata apud bonos existimatione, cuius rei iudex est Ordinarius (can. 2295).

b) Cum honos sit bonum personale, effectus infamiae non afficiunt nisi ipsum delinquentem (can. 2293, § 4). Et quidem:

1. qui infamia *iuris* laborat est irregularis,[1] *inhabilis* ad obtinenda beneficia, pensiones, officia et dignitates ecclesiasticas, ad actus legitimos, ad exercitium iuris aut muneris in ecclesia, arceri debet a ministerio in sacris functionibus.

2. qui laborat infamia *facti* est *repellendus* a recipiendis ordinibus, a dignitatibus, beneficiis, officiis, actibus legitimis ecclesiasticis atque ab exercendo sacro ministerio (can. 2294, §§ 1 et 2).

Animadvertas illum qui inhabilis est agere obtinere *invalide*, qui repellendus *illicite* tantum.

Qui a lege aut a iudice *infamis* declarabatur plenitudinem iuris civilis apud Romanos amittebat.[2] Hanc poenam Ecclesia, per complura saecula, non attendit nisi quatenus ab ordinibus excludebat eos qui bonum nomen non haberent. Sed inde a fine saec. IX, et praesertim, instaurato studio iuris Romani, saeculo XI et XII poena infamiae late in foro nostro usurpata est.[3] Atque non solum multa crimina canonica infamia notata sunt, sed praeterea doctrina statuit principium infames esse iure canonico qui tales erant iure Romano,[4] nisi expressa exceptio probaretur. Quod quidam recentiores ad *modernas* leges, quae iura civilia abiudicant,[5] transferendum putabant.[6] At utrumque minime rectum erat.[7] Hodie, sublata a C. qualibet controversia, constat:

1. infamiam *iuris* contrahi solummodo in casibus iure communi *canonico* expressis,[8] licet interdum mediate ex sententia laicali;[9]

2. infamiam *facti* ab existimatione *fidelium* pendere. Sententia civilis *potest* quidem at haud necessario eam producere *debet*.

III. DE PECULIARIBUS POENIS CLERICORUM

51. Quaenam sint. Praeter communes, aliae poenae vindicativae sunt quae, pro suo obiecto, clericis tantum applicantur, et in can. 2298 recensentur: 1. *prohibitio exercendi* sacrum ministerium praeterquam in certa ecclesia; 2. *suspensio* aut totalis aut partialis, ut puta a ministerio praedicandi, audiendi confessiones etc., dummodo sit ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum superioris (can. 2299, § 2); eodem fere

[1] can. 984, 5.

[2] *Bonfante*, Istituzioni di d. r.[6] Milano 1919, 59; *Arndts*, Lehrbuch der Pandekten,[13] Stuttgart 1886, §§ 29-31.

[3] cf. *Hinschius*, V, 41 s.

[4] cf. c. 17, C. 6, q. 1; *Thesaurus*, P. I, c. 33, ad I.

[5] CI a. 20; CGa aa. 34, 35; CG § 31; CA § 26.

[6] *Hollweck*, § 78.

[7] Nedum quoad infamiam *iuris* sed neque quoad infamiam *facti*, v. *Wernz*, II, 130, III.

[8] can. 2320, 2328, 2343 §§ 1 et 2, 2351 § 2, 2356, 2314 § 1, 2359 § 1.

[9] cf. can. 2357 § 1.

recidit 3. *privatio* alicuius iuris cum beneficio vel officio coniuncti; 4. *inhabilitas* ad omnes vel ad aliquot dignitates, officia, beneficia aliave munera propria clericorum, quae poena Sedi Ap. reservata est si capacitas in iure communi fundatur, atque dumtaxat futurum respicit,[1] nam iura acquisita non amittuntur nisi per 5. *privationem* poenalem beneficii vel officii cum vel sine pensione. Haec poena valde gravis est, quocirca si clericus beneficium inamovibile obtinet eodem privari potest solum in casibus a iure expressis,[2] atque in tuto posita eius honesta sustentatione si insuper beneficium aut pensionem in titulum ordinationis habeat; beneficio amovibili facilius etiam ubi lex taxative id non statuit privari potest (can. 2299, §§ 1 et 3). 6. *translatio poenalis* ab officio vel beneficio obtento ad inferius, cum includat privationem eisdem normis est applicanda, sed quatenus novam collationem affert est sane valde minor poena et expeditioris usus in amovibiles clericos. Numquam tamen sine crimine, cum longe alia sit ac amotio vel translatio *administrativa*, quae in ceteris casibus adhibendae sunt.[3] 7. et 8. *relegatio* quae sub duplici forma vel *prohibitionis* vel *praescriptionis* commorandi in certo loco vel territorio occurrit,[4] utraque, praesertim si diu duratura sit, ut durior poena consideratur, quam proinde imponere in casibus gravibus tantum, in quibus ad clerici emendationem aut scandali reparationem necessaria sit, Ordinario licet (can. 2302). Locus ubi quis commorari iubetur potest esse etiam monasterium aut domus poenitentialis, imo plerumque erit; qui si sub aliena ditione sit (ex. gr. quia in alia dioecesi, quia exemptus) consensus illius, cuius iuris est, requiritur (can. 2301). 9. *privatio temporaria habitus ecclesiastici*, quae, dum perdurat, secumfert prohibitionem exercendi ministeria quaevis ecclesiastica et privationem privilegiorum clericalium. Haec quoque poena gravioribus adscribenda est *atque*, ut legitime irrogetur, tres conditiones a C. postulantur (can. 2300): *gravia* et *actualia* scandala a clerico data, *inutilis monitio* praemissa cum comminatione poenae,[5] denique *unicum* sit *remedium* quo scandalum removeri queat. Gravissimae, inter omnes, poenae sunt, 10. *depositio*, quam sequitur, si delinquens non emendetur, 11. *privatio perpetua habitus ecclesiastici*, et ultimo, 12. *degradatio*.

Inhabilitas efficit ut *invalida* sit collatio officii, beneficii etc. At iure antiquo vigente probabilis erat multorum doctrina licere in conscientia accipere

---

[1] Etiam hic valet principium can. 2296.

[2] *Privati* ipso facto: can. 2396, 2397, 2398, 2266; *privandi:* can. 2314 § 1, 2331 § 2, 2340 § 2, 2343 § 2, 2345, 2346, 2350 § 2, 2354 § 2, 2359 §§ 1-3, 2368 § 1, 2381, 2; *privari possunt:* can. 2324, 2336 §§ 1-2, 2355, 2359 § 3, 2360 § 2, 2394, 2, 2403, 2405.

[3] v. can. 2147 ss. — Poena haec recens est, demum post Conc. Trid. inducta.

[4] Similis poena in CI a. 18; analoga in CGa a. 57; CG § 39; in Austria § 9 l. 10 mai 1873.

[5] cf. can. 2222, § 1.

beneficium et ideo retinere fructus, ante sententiam *declaratoriam* et excepto *notorio*.[1] Nunc tenendum est poenam obligare in *utroque foro*, at in externo excusat timor infamiae, in interno providetur per facultatem confessario in can. 2290 tributam. Quatenus est accessoria alterius poenae (excommunicationis, infamiae) huius dispensatione vel absolutione cessat.

De *privatione* quoque docebant canonistae reum occultum non teneri eam contra se ad executionem deducere.[2] Hodie latae sententiae est in quattuor casibus tantum, qui omnes, natura sua, publici sunt.

Relegatio respondet, forma modernis moribus accomodata, antiquis poenis *carceris*[3] et *exilii*.[4] Et etiam durante instructione processus criminalis, si necessaria videatur, admissa est.[5] At hodie illam habet difficultatem, quod principio libertatis personalis, in omnibus modernis constitutionibus sancito, opponitur et ideo valde caute, ut ipse C. innuit, ab Ordinariis adhibenda est.

52. Depositio. Haec poena, quae tantummodo in casibus iure expressis[6] et certis sollemnitatibus[7] infligi potest, aufert clerico *omnem potestatem* in perpetuum, quin tamen eum ex ordine clericali detrudat. Quare ipse *a*) prohibetur ab exercendo quolibet actu *ordinis, iurisdictionis* et *administrationis* seu suspensus est ab officio; privatur omnibus *dignitatibus, officiis, beneficiis, muneribus*, quae habeat, etiam beneficio aut pensione cuius titulo fuerit ordinatus; *inhabilis* fit ad quaecumque assequenda. At *b*) cum clericus esse non desinat, non amittit *privilegia* clericalia et, a fortiori,[8] non liberatur *obligationibus* e suscepto ordine exortis (caelibatus, recitationis breviarii etc.) Atque ne dedecus eius, si emendicare victum cogeretur, in statum cui adhuc pertinet refundatur, Ordinarius iubetur, quo meliore modo potest, honestae eiusdem *sustentationi* providere (can. 2303).

Depositio, quae semper ferendae sententiae est ideoque publica, cum ab omni officio aut beneficio accepto vel accipiendo radicitus arceat actus his connexos et forte attentatos reddit *invalidos*, dum actus potestatis ordinis, natura sua, dumtaxat *illiciti* fiunt. Gravior est suspensione, etiam generali et perpetua, quia ipso titulo et proprietate officii et beneficii reum spoliat; gravior est privatione et ab ea differt quia addit suspensionem ab ordine et inhabilitatem.

---

[1] *Wernz*, VI, 112; *Hollweck*, § 84, 3.

[2] *Wernz*, VI, 116; *Hollweck*, § 90, n. 11; *Thesaurus*, P. I, c. 30. Severius *Gennari*, Sulla privazione del beneficio eccl.[2] Roma 1905, 2 ss.

[3] *Incarceratio*, ut poena, ignota erat Romanis, in iure canonico autem iam saltem saec. VI apparet, praesertim apud populos Germanicos.

[4] Inde a saec. V a iure Romano in nostrum inducta.

[5] can. 1957.

[6] can. 2314 § 1, 2320, 2322, 2328, 2350 § 1, 2354, § 2, 2359 § 2, 2379, 2394, 2401.

[7] can. 1576, § 1.

[8] Quia «nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest» (l. 134, D. 50, 17).

Clerico deposito, si non det emendationis signa et praesertim si scandalum dare pergat monitusque non resipiscat, Ordinarius exasperare potest poenam per *privationem perpetuam habitus ecclesiastici.* Quo facto ille amittit privilegia clericalia et alimenta, attamen adhuc clericus manet (can. 2304).

Depositio, a remotissima aetate, in praxi Ecclesiae suum locum habet. Exempla primi saeculi scriptores afferunt.[1] Clericus hac poena perculsus omni *officio, reditu* et *honore* privabatur, ad communionem laicam in perpetuum reducebatur,[2] dedecore afficiebatur instar militis ignominiose dimissi,[3] quod etiam speciales caeremoniae significabant,[4] imperio Romano extante saeculari curiae tradebatur, serius in monasterium arctae poenitentiae subactus includebatur.[5] Non desunt tamen exempla etiam *partialis* depositionis, cum *aut* adempto officio honor relinqueretur, *aut* mera *regradatio* ad inferiorem ordinem statueretur, *aut* unum vel alterum ius non totum officium auferretur.[6]

Saec. XII exeunte notabilis mutatio iuris efformatur: poena, quae hucusque unica erat et promiscue depositio aut degradatio vocabatur, in *duas* specifice *distinctas* dividitur: depositionem et degradationem. Cum enim, durante medio aevo, Ecclesia privilegium fori etiam clericis depositis vindicaret,[7] alias vero potestas saecularis gravissimorum criminum et praesertim capitalium reos suis poenis cohibere vellet, ad conflictum solvendum primus Lucius III (1184), dein Coelestinus III (1191—98), demum Innocentius III (1198)[8] statuerunt ut eiusmodi delinquentes per peculiarem sententiam, postquam essent depositi, privilegiis clericalibus spoliarentur et auctoritati civili traderentur.[9] Quae nova sanctio, nomine proprio,[10] exinde *degradatio* appellata est.

53. Degradatio. Perfecta exclusio e statu clericali demum infligitur per *degradationem* quae «in se continet depositionem, perpetuam privationem habitus ecclesiastici et reductionem ad statum laicalem» (can. 2305, § 1). Ultima ratio est, quocirca ferri solummodo potest propter pauca *gravissima delicta* in iure expressa[11] *aut* «si clericus, iam depositus et habitu clericali privatus, grave adhuc scandalum *per annum* praebere pergat» (§ 2).

Semper *iudiciali sententia*, in processu peculiaribus cautelis instituto,[12] irrogatur, at cum haec in rem iudicatam transierit statim efficit

---

[1] *Kober,* Die Deposition und Degradation, Tübingen 1876, 1 ss. Ibi etiam plurima *nomina* ad hanc poenam designandam adhibita.

[2] *Kober,* o. c. 53 ss.; *Hinschius,* IV, 727 ss., 807 ss., V, 51 ss.

[3] *Kober,* o. c. 53 ss.

[4] *Kober,* o. c. 48 ss.

[5] Primum exemplum in syn. Agath. 506. *Kober,* o. c. 73.

[6] *Kober,* o. c. 113.

[7] cf. c. 8, X. 2, 1 (Lucius III, 1181-1185).

[8] c. 9, X. 5, 7; c. 10, X. 2, 1; c. 7, X. 5, 20.

[9] *Kober,* 130 ss.; *Hinschius,* V, 58 ss.; 415 ss.

[10] Innoc. III in c. 27, X. 5, 40.

[11] can. 2314 § 1, 2343 § 1, 2354 § 2, 2368 § 1, 2388 § 1.

[12] can. 1576, § 1.

ut degradatio, quae in casu *verbalis* seu *edictalis* dicitur, omnes suos effectus iuridicos habeat, sine ulla executione.

Quare illa sollemnis caeremonia in Pontificali Romano descripta,[1] qua clerico vestes sacrae detrahuntur, tonsura et digiti abraduntur, instrumenta in ordinatione tradita de manibus auferuntur, ita ut quasi execratio eius fieri videatur, et quae *realis* degradatio vocatur, ad terrorem infamiamque augendam adhibetur, specialem autem effectum iuridicum poenae iam integrae non adiungit (can. cit. § 3).

Distinctio inter degradationem verbalem et realem ab Innoc. III et Bonif. VIII derivat.[2] Illa in sententia qua reus dignus degradatione reali pronunciabatur consistebat, haec in sollemni eiusdem executione et traditione iudici saeculari. Unde praevalens erat hucusque doctrina *alteram* tantum privilegiorum clericalium privationem parere.[3] Sed cum in modernis conditionibus plerumque impossibilis evadat, C., mutato iure, verbali hanc vim tribuit.

C. De remediis poenalibus et poenitentiis

I. DE REMEDIIS POENALIBUS

54. Remedia poenalia potius ad praecavenda quam ad expianda scelera diriguntur. Cum tamen poenis accedant quia saltem molestiam et dedecus quoddam afferunt, eis applicandis locus non est nisi obiectiva et subiectiva *culpa* externa habeatur, licet ea non sit quae ordinariam poenam mereatur; atque de eadem per praeviam *inquisitionem* constare debet.[4] Datur enim appellatio vel recursus, prouti aut in iudicio aut extra iudicium imposita sunt.[5]

Interdum vero remedia poenalia directe in punitionem intendunt, quatenus vel ad substituendam[6] vel ad augendam, praesertim in recidivis, poenam adhibentur (can. 2309, § 4 et can. 2311, § 2).

Quattuor in C., a leviore ad gravius procedendo, recensentur: 1. monitio, 2. correptio, 3. praeceptum, 4. vigilantia.

Remedia poenalia, quae iam Conc. Trid. sess. XIII, c. 1 de r. implicite commendaverat, certis normis statuta sunt per instructionem C. Ep. et Reg. 11 iun. 1880, formaliter pro Italia tantum practice pro universa Ecclesia. Exinde hoc ius pene immutatum in C. transiit.

Eis respondent, in regimine civitatum, provisiones quas moderni *politiae* vocant, Romani coercitionem.

---

[1] P. R. pars III, tit. *Degradationis forma.*

[2] can. 27, X. 5, 40 (Innoc. III) et c. 2 in VI. 5, 9 (Bonif. VIII).

[3] *Kober,* o. c. 160 ss.; *Suarez,* d. XXX, s. 2, nn. 7-8; *Wernz,* VI, 127. Contradicit *Hollweck,* § 92, at argumentis quae potius pro iure ferendo quam pro tunc vigente valebant.

[4] *Lega,* De iudiciis, IV (Romae 1902) 183, 278 ss.

[5] can. 1933, § 4; Instructio S. C. Ep. et Reg. 11 iun. 1880, a. 5 (AS XIII, 324).

[6] Vi can. 2223, § 3, n. 3.

55. Quomodo applicanda sunt. *a*) Si cuiusdam ratio agendi ea sit ut superior fundatam *suspicionem* habeat eum in proxima occasione delicti committendi versari, aut eo magis si ex peracta inquisitione iam commisisse *valde probabile* quamvis non plene probatum videatur, locus est *monitioni;* si vero etiam scandalum vel gravis ordinis perturbatio oriatur, *correptioni* (can. 2307 et can. 2308).

Utraque fieri potest *vel* ab Ordinario personaliter, *vel* per aliam idoneam personam, *vel* per epistolam certo modo transmissam, ita tamen ut subdito quae reprehendenda sunt clare exponantur, copia sese defendendi detur, aptis verbis consiliisque emendatio commendetur.[1]

Utraque item, semel pluriesve fiat quod prudentiae superioris remittitur, potest esse vel *publica* vel *secreta*, at de hac quoque constare debet ex aliquo documento in secreto archivo Curiae asservando (can. 2309, § 5). *Publica* vero fit *aut* coram notario *aut* coram duobus testibus *aut* per epistolam duobus exemplaribus confectam, quorum alterum in actis retinendum alterum delinquenti intimandum est per apparitorem vel per publicos tabellarios, receptae aut repudiatae exibitionis fidem exposcendo (can. cit. § 2).[2]

Monitio secreta eadem est ac *paterna*, publica ac *legalis*.[3] Neutra tamen confundenda est cum monitione exhortativa et amicabili, quae ab Episcopo datur ex benevolentia vel ex pastorali officio, sed ex exercitio potestatis *poenalis* profluit eiusdemque naturam induit.[4] Gravior est correptio, imo haec *publica* fieri tantum potest adversus reum de delicto convictum vel confessum. Quodsi in processu criminali infligatur certis sollemnitatibus, *iudicialis* dicitur et speciale institutum iuridicum constituit, plerumque cum poenitentiis coniunctum (can. cit. § 3).[5]

b) Ulterius proceditur, si monitiones et correptiones incassum cesserint, per *praeceptum* «quo quid agere quidve evitare praeventus debeat accurate indicatur cum poenae comminatione in casu transgressionis» (can. 2310). Planum est hoc quoque remedium requirere *praeviam* facti *notitiam*, imo plenam probationem delicti vel admissi vel proxime admittendi siquando detur non praemissa monitione quia ex ea effectus non spera-

---

[1] *Lega*, o. c. 286, 6; *Wernz*, VI, 254.

[2] cf. can. 1719, can. 2143, § 1 et instruct. cit. a. 14. «Qui impedit quominus monitio ad se perveniat, habeatur pro monito» can. 2143, § 3.

[3] Terminologia in fontibus et DD. non est constans. Multi antiquiores videntur monitioni *paternae* abiudicare naturam remedii poenalis, quod tamen contra a. 6 instruct. cit. est. Potius dicendum ei essentiale esse quod *legitima* probatione destituatur, ideoque non admittat sanctionem poenalem in casu inobedientiae. Ceterum animadvertas optime posse, imo regulariter satius esse, etiam in legali monitione cum publicitate *iuridica* secretum componi. cf. *Lega*, 286.

[4] *Lega*, 183.

[5] De quo in can. 1947-1953. cf. CI aa. 26-27.

tur. Praeceptum enim habet vim sententiae condemnatoriae sub conditione editae suspensiva.[1] Intimatur *forma legali*, oblata opportunitate defensionis.[2]

c) Denique integrum est Ordinario «si casus *gravitas* ferat et praecipue si agatur de eo qui in periculo versatur *relabendi* in idem crimen» eum submittere *vigilantiae* (can. 2311, § 1). Cum res valde odiosa et famam laedens sit, ipsi textus iuridici[3] innuunt nonnisi cum moderatione hoc remedio utendum esse. Superioris est statuere a quo et quibus normis vigilantia exercenda sit, eisque vigilatus obtemperare debet.

Vigilantia occurrit in iure etiam ut medium processuale (can. 1946, § 2 et can. 1957) atque ut exasperatio poenae (can. 2234 et can. 2311, § 2).

II. DE POENITENTIIS

56. Poenitentiae, de qua hic agitur, illud est proprium ut in *foro externo imponatur* non libere in *foro interno* suscipiatur. Per hoc essentialiter a sacramentali et ab ultronea distinguitur atque in iure poenali consideratur. Est enim conditio, a superiore *vi coercitiva* praedito requisita, «ut delinquens vel poenam *effugiat,* vel poenae contractae *absolutionem* aut *dispensationem* recipiat» (can. 2312, § 1). Unde non in expiationem *peccati* sed *delicti* statuitur, et apte cum remedio poenali saepe coniungitur (can. 2313, § 2). Tamen, cum non adaequatam vindictam intendat sed potius reparationem scandali et mutatae voluntatis argumentum, «non tam secundum quantitatem delicti, quam secundum poenitentis contritionem moderanda est, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis». Ex eadem ratione «ob delictum *occultum* numquam poenitentia publica imponitur (can. cit. §§ 2 et 3).

Aptas poenitentias, in unoquoque casu, eligere pertinet ad superiorem qui, dummodo secundum modernam disciplinam agat, nulla lege limitatur. Quae in C. can. 2313 afferuntur: preces, peregrinatio, opera pietatis, ieiunium, eleemosyna, exercitia spiritualia, sunt quidem *praecipuae,* alias autem non excludunt.

Antiquitus Ecclesiam graves et longas poenitentias, *publice* peragendas, propter graviora crimina imposuisse notissimum est; has naturam iuridicam poenae *fori externi* habuisse ex textibus probatur.[4] Disciplina poenitentiae publicae saec. XIV plene obsoleverat, imo iam inde a saec. VII, primo in Britannia dein in magna parte Europae, *redemptiones* usuvenerant, quibus poenitentiis canonicis alia pia opera ab auctoritate ecclesiastica sufficiebantur.[5]

---

[1] *Lega*, 288.
[2] Instruct cit. a. 8; *Wernz*, VI, 256; *Lega*, l. c.
[3] can. 2234, can. 2311.
[4] Negat sane *Hinschius*„ IV, 695 et passim, at ex praeiudicata opinione. cf. supra n. 1.
[5] Cf. *Wernz*, VI, 252.

Hodiernum ius fundamentum habet in praescripto Conc. Trid. sess. XXIV, c. 8 de r.; «Quando igitur ab aliquo publice et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum, huic condignam pro modo culpae *poenitentiam publice* iniungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam».

CAPUT IV

DE POENIS IN SINGULA DELICTA

I. DELICTA CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIAE

57. Apostasia, haeresis, schisma sunt praecipua delicta quae huc veniunt.

1. *Apostasia* est totalis defectio a christiana religione per baptismum suscepta; apostata igitur *baptizatus* qui a fide christiana penitus *recedit*, sive atheum se profiteatur sive ad iudaismum, islamismum etc. transeat.[1]

2. *Haeresis* est *christiani* hominis *pertinax* error contra *fidem catholicam*. Errat vero sive deneget sive positive dubitet;[2] *pertinaciter* si veritatem edoctus non si ex ignorantia etiam affectata;[3] contra fidem *catholicam* si de veritate agitur *revelata* et ab Ecclesia ut credenda *proposita*, non de conclusione theologica aut de facto dogmatico.[4]

Utrumque delictum, ut poena plectatur, *et interne* conceptum *et externe* proditum sit requiritur. Illud ex natura rei patet, quare qui ficte apostasiam aut haeresim ostentaret in foro interno peccati *non* delicti ideoque poenae reus esset, licet in foro externo talis praesumatur;[5] *externa* proditio vero (sine qua nullum delictum intelligitur)[6] actu manifesto humano malo[7] facienda est, nihil refert autem verbis an factis, publice an occulte. Unde multae actiones quae implicite haeresim continent (v. c. experimenta spiritistica et similia) huius poenas secumferunt, modo ponentes eandem advertant.

---

[1] Definitiones horum delictorum v. in can. 1325, § 2.

[2] *D'Annibale*, In Constit. Ap. Sed.[2] (Comment. Reatinus), Reatis 1874, 23: «*Dubium positivum* .... cum mens nostra inter duos contradictionis terminos constituta, propter contraria rationum momenta, *non scit* utrum negare, utrum affirmare debeat: *negativum* si in praesens *non vult* quidquam affirmare aut negare: illo igitur iudicium inest, hoc secus».

[3] Sententia communis interpretum bullae Ap. Sedis. cf. *Bucceroni*, Commentarius de Constit. Ap. S., Romae 1886, 8; *Ballerini-Palmieri*, Opus theol. mor.[3] Prati 1899, II, 90, aliosque.

[4] Christum praeditum fuisse libero arbitrio; sanctum determinatum in coelo esse; concilium Vaticanum esse oecumenicum. Excipe si conclusio continetur, ut pars in toto, in praemissis: Christus pro me mortuus est. *D'Annibale*, 23.

[5] *Ballerini-Palmieri*, II, 87. v. *Ben. XIV.* Const. *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744, §§ 3 ss.

[6] «Cogitationis poenam nemo patitur» (l. 18, D. 48, 19 = c. 14, d. 1 de poen.) cf. supra n. 10.

[7] Non ambigue, non in somno aut ebrietate, non consilii capiendi causa. cf. *D'Annibale*, Comm. 24.

3. *Schisma* est separatio ab *unitate* Ecclesiae, quae in denegata subiectione Rom. Pontifici *aut* communione cum membris Ecclesiae ei subiectis consistit. Unde etiam Sede vacante dari potest.[1] At non schismaticus sed inoboediens tantum censendus est qui, Pontificis spirituale imperium agnoscens, particulari eius praecepto non obtemperat. E contra nihil prodest *interne* recte sentire ei qui *externe* ab unitate secedit, quia schisma in facto proprie est. Plerumque cum haeresi coniungitur et habetur concursus delictorum.

Poenae (can. 2314, § 1); *a) excommunicatio* l. sent.

b) pro omnibus, post inutilem monitionem, *privatio* beneficii, officii, dignitatis, pensionis, muneris, *infamia*, f. sent. — pro clericis praeterea, iterata monitione, *depositio* f. s.

c) si sectae acatholicae nomen dant vel *publice* adhaerent, omnibus *infamia* l. s.; clericis insuper, *privatio* cuiusque officii et beneficii l. s. atque, monitione praemissa, *degradatio* f. s.

58. Absolutio ab excommunicatione est in *foro interno* Sedi Apost. speciali modo reservata. At in *foro externo* competens est ad eam impertiendam Ordinarius loci (secluso Vicario gen. sine mandato speciali) eaque concessa peccatum nullimode reservatum est. Absolutio sequitur *abiurationem*, quam reus, probato delicto per testes vel etiam per eius voluntariam confessionem, iuridice peragere debet, i. e. coram Ordinario loci vel delegato *et* saltem duobus testibus. Salutaris poenitentia, reparatio scandali aliaque, pro re et tempore, necessaria imponenda sunt (can. cit. § 2). Hic modus procedendi praesertim cum conversis ab haeresi et schismate, in quibus forte bona fide fuerunt, magno usui est.

Apostasia et *haeresis* iam in antiquissima Ecclesia erant crimina capitalia, quorum venia in exitu vitae tantum aut ne in exitu quidem alicubi dabatur. Serius sane moderata est disciplina, at gravissimae poenitentiae huiusmodi delinquentibus impositae sunt.[2] Christianis factis imperatoribus Romanis etiam severissimae sanctiones civiles accesserunt, confiscatio, exilium imo mors.[3]

Quae severitas, post intervallum minoris rigoris, renovata est saec. XII, cum haereses denuo invalerent, per iteratas canonicas sanctiones; per leges imperatoris Friderici II (1231, 1232, *rogus*) ab Honorio III et Greg. IX confirmatas; per institutum *inquisitionis*, quod reos ex officio persequebatur (Lucius III in syn. Veron. 1184).[4] Cum vero *Episcopi* essent inquisitores ordinarii ideoque abiurantes

[1] Iure antiquo qui eiusmodi esset schismaticus non incurisse censuram videtur. cf. *D'Annibale*, o. c. 35.

[2] *Hinschius*, IV, 694; *Kober*, Deposition, 627, 731.

[3] *Kober*, o. c. 732 ss.; *Hinschius*, IV, 790 ss.

[4] *Çhoupin*, o. c. 473 ss.

in iudicio absolvere possent, etiam postea hanc potestatem retinuerunt, quam Concil. Trid. (sess. XXIV, c. 6 de r.) eis conservatam voluit et recentioribus temporibus iterum confirmata est.[1]

Ius hucusque vigens in apostatas, haereticos, schismaticos, praeter poenas vindicativas, excommunic. speciali modo reservatam statuebat (Const. *Ap. S.* 1 et 3).

59. Suspicio de haeresi. Quaedam facta ea sunt ut suspicionem ingerant ex errore in fide profluere. Veteres levem vehementem violentam, pro indiciorum gravitate, suspicionem distinguebant.[2] Et imprimis suspectus est qui quoquo modo haeresis propagationem *sponte* et *scienter* [3] iuvat, *aut* qui communicat *active* cum haereticis (can. 2316). Praeterea ius alias species facti, quibus haec nota inuritur, *taxative* statuit: *a)* pacisci de acatholica educatione filiorum, *b)* eos *scienter* ministro acatholico offerre baptizandos, *c)* eos *scienter* in religione acatholica educandos tradere, *d)* species consecratas abiicere vel ad malum finem abducere retinere, *e)* a Pontifice ad concilium appellare, *f)* per annum in excommunicatione insordescere, *g)* per simoniam *scienter* ad ordines promovere promoveri, sacramenta ministrare recipere.[4]

Patet suspicioni semper culpam subesse, quae plerumque etiam suam poenam habet. *Delictum* specificum vero fit post *iuridicam monitionem,* qua suspectus iubetur causam suspicionis amovere, si non pareat.

Poenae (can. 2315): *a)* prohibitio ab *actibus legitimis* f. s.

b) pro clerico praeterea, iterata monitione, *suspensio a divinis* f. s.

c) pro omnibus, post sex menses a contracta prima poena, *poenae haereticorum.*[5]

Ap. Sed. n. 1: «credentes, receptores, fautores, defensores». Primi facile ad vere haereticos reducuntur, reliqui nunc inter suspectos recensentur.

60. Delicta connexa cum haeresi quaedam sunt quae speciale periculum rectae fidei vel favorem haereticis sectis afferunt. Hac ratione rei sunt:

1. *Pertinaciter docentes* vel *defendentes* sive publice sive privatim *doctrinam* quae ab Apostolica Sede vel a Concilio Generali damnata quidem fuit, sed *non* ut formaliter *haeretica.* Docere est nescientibus tradere, defendere *argumenta* praetexere ad probandum doctrinam non meruisse damnationem.[6] Alterutrum aliquis *sciens prudens,* non ex igno-

[1] S. O. 16 febr. 1916 (A. VIII, 61).

[2] cf. *Devoti,* l. IV, t. 4, § 8.

[3] De vi horum verborum vide supra n. 27.

[4] can. 2319, 2320, 2332, 2340, 2371. De his omnibus accuratiora videnda sunt suo loco infra.

[5] Suspicio violenta, praesumptio iuris et de iure.

[6] Non ergo dumtaxat dicere *se tenere* hanc propositionem non fuisse damnandam. *D'Annibale,* o c. 72; *Bucceroni,* 44.

rantia etiam crassa, faciat requiritur. Nihil refert autem an agatur de doctrina damnata cum vel sine censura, a Papa, a Concilio vel a Congregatione.[1]

Poenae (can. 2317): *a) remotio a munere* praedicandi, audiendi confessiones, docendi, f. s.

b) illae poenae quae forte decreto damnationis singularum propositionum adnexae sunt,

c) poenae *facultativae,* quas Ordinarius, post monitionem, necessarias ad reparandum scandalum, duxerit.

Hucusque excommun. *simpliciter* reservata (*Ap. Sed.* II, n. 1) at tantummodo in «docentes et defendentes propositiones ab *Apostolica Sede* damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae». Unde novum ius *multo latius patet.* Huc enim veniunt hodie, praeter illas,[2] plurimae aliae propositiones a Pontificibus damnatae cum censura f. s. aut sine censura (Syllabus Pii IX, Syll. Pii X), a Conciliis (praesertim a Tridentino), a Congregationibus Romanis, imprimis a S. O.[3] Cunctarum poenae, etiam latae sententiae, confirmantur, ideoque *ut in C. insertae habendae sunt.*

2. *Editores librorum* apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos *defendentes* aut *scienter*, sine licentia, *legentes* vel *retinentes.* Propugnare est data opera et pro viribus defendere non tantum exponere doctrinam; ex eo autem quod auctor eam propugnat iam constat ipsum esse apostatam vel haereticum, quin necesse sit ut sectae adhaeserit.[4] Praeterea requiritur ut *liber* sit et *publici iuris* factus. Excipiuntur igitur ephemerides, libelli, opuscula, folia separata, non item commentarii;[5] libri quoque non typographice impressi, aut impressi sed non divulgati. Et *legunt* qui propriis oculis perspiciunt linguae gnari non qui legentem audiunt, dumne mandaverint ut sibi legeretur;[6] *retinent* qui suum aut alienum penes se vel penes alium conservant; *defendunt* qui doctrinam tuentur non qui auctoris stilum et eruditionem extollunt, nisi hoc in libri approbationem cedat.[7]

---

[1] can. 7. Iure antiquo nec a Concilio nec a Congregatione. cf. *Hollweck*, § 99 n. 2 et auctores ibi allegatos.

[2] Quaenam sint canonistae indicant, ex. gr. *Hollweck*, § 99, n. 4; *Bucceroni*, 44.

[3] Catalogi plurium, si non omnium, apud dogmaticos et moralistas; *Gury-Ballerini*, Theol. mor.[10] et *Ballerini-Palmieri*, o. c. in proemio primi voluminis; *Depeder*, Enchiridion th. past.[2] Tridenti 1903, p. 980 ss.; *Denzinger*, passim.

[4] *D'Annibale*, Comm. 33; *Noldin*, 52; *Vermeersch*, De prohibitione et censura librorum,[4] Romae 1906, 125. Aliud videtur sentire *Cappello*, 76.

[5] *Riviste* uti aiunt, S. O. 27 april. 1880 (AS XX, 368), 13 ian. 1892 (AS XXIV, 625).

[6] Applicatio can. 2209, § 3 et can. 2231. Contra *Cappello*, 78 cum antiquioribus DD.

[7] *Codicem* defendere, puta ne comburatur, *Caviglioli* 87 censet non esse delictum, quod mihi probatur, praesertim cum iure novo non dicatur «quomodolibet». At contradicunt fere omnes DD. antiqui (cf. tamen *Hollweck*, § 106, *Génicot*, Theol. mor.[5] Lovanii 1905, I, 457) et etiam *Pighi*, *Cerato*, *Cappello*.

Non dicuntur per *apostolicas litteras* prohibiti libri qui a C. Indicis aut a S. O. proscribuntur, sed qui per actum ipsius Pontificis, et quidem non generalibus verbis sed *expresso titulo*, atque, uti videtur, addita excommunicatione reservata.[1]

Poena (can. 2318, § 1): *excommunicatio speciali modo* reservata l. s. In legentes et retinentes autem dumtaxat si *scienter* agunt.

Hucusque eadem poena (*Ap. Sed.* II, 2) at seclusis libris schismaticorum. Ibi autem «imprimentes» plectebantur, nunc *editores*, itaque magna controversia soluta est. Utrum in societate editrice omnes socii rei sint, aestimandum erit a parte *activa* quam in negotio gerendo habent.[2]

3. *Auctores* et *editores* qui sine debita licentia, ab Ordinario petenda, sacrarum Scripturarum libros, in textu originali vel in versione, *vel* earum adnotationes aut commentarios imprimi *curant.*

Poena (can. 2318, § 2): *excommunicatio nemini reservata,* l. s.

Hucusque eadem poena in a. 48 Const. *Officiorum et munerum,* quae prohibitionem Conc. Trid. sess. IV confirmaverat.

4. *Catholici* qui matrimonium mixtum[3] ineunt coram ministro, acatholico uti sacris addicto.[4]

5. *Catholici* qui matrimonio uniuntur cum *pacto* explicito vel implicito[5] ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam. Pacisci matrimonio iam inito aut occasione matrimonii civilis huc non pertinet.

6. *Catholici* qui *scienter* liberos *suos* acatholicis ministris baptizandos offerre *praesumunt.*

7. *Catholici* parentes vel parentum locum tenentes (iure vel facto, quicumque sint) qui liberos in *religione* acatholica, non forte ab acatholicis in aliis disciplinis, educandos vel instituendos *scienter* tradunt.

A duobus postremis delictis excusat *ignorantia* etiam crassa et *metus.*

Poena (can. 2319): *excommunicatio Ordinario* reservata l. s.

Rei sub 5, 6, 7 recensiti sunt praeterea *suspecti de haeresi.*

---

[1] Saltem quoad praeteritum ex sententia communi DD. cf. *Vermeersch*, 125. Ita etiam *Cappello, Cerato.* At quoad futurum assentior *Caviglioli* qui huius conditionis necessitatem negat. Libri isti sunt 82 saec. XVIII et tres (Vigil et Nuytz) a Pio IX proscripti. *Vermeersch*, l. c. Plura app. *Pennacchi*, ap. III.

[2] Nempe an sint complices sensu can. 2209, §§ 1-3, quae est quaestio *facti.* Absolute affirmat *Pighi* cui contradicit *Caviglioli.*

[3] De hoc *expresse* agitur, cum haeretico vel cum infideli; atque ex principio iuris poenalis (can. 19 et 2219, § 3) si *duo* catholici coram haeretico ministro contraherent *huius* delicti rei non essent, sed ad normam can. 2316 iudicandi.

[4] can. 1063. Si plura cupis vide *Chelodi*, o. c. 61-62.

[5] Uti si alter promittat, alter tacite promissionem acceptet.

Iure antecedenti haec ut crimina specifica non considerabantur, sed subsumebantur sub «favore haeresis», ex communi interpretatione doctorum et decisionibus S. O.

II. DELICTA CONTRA RELIGIONEM

61. Profanatio Eucharistiae. Delicta contra fidem subsequuntur, in logico ordine C., delicta contra *religionem,* quae irreverentia in Deum *aut* abusu rerum sacrarum perpetrantur. Alteri classi proprie nomen *sacrilegii* tribuitur, quod tamen latiore sensu omnibus convenit. Eminenter sacra est Eucharistia, unde gravissimum delictum eam temerare. Quo reus fit:

1. qui species consecratas *abiecerit* vel ad malum finem *abduxerit* aut *retinuerit.* Triplex modus foedandi, unusquisque ad scelus constituendum satis. Nihil refert utrum panis an vini, plures an unam particulam aut guttam quis abiiciat, neque necessarium est ut in locum sordidum, sufficit ut extra tabernaculum vel mensam effundat.[1] *Abducere* aut *retinere* vero debet in malum finem, qui sane praesumitur, non immodicae devotionis aut forte necessitatis causa. Planum est tamen delinquere etiam eum qui abducit sciens alium deinde sacramentum profanatarum esse.

Poenae (can. 2320): *a) excommunicatio specialissimo* m. reservata, l. s.
b) suspicio de haeresi.
c) infamia iuris l. s.
d) clerico insuper *depositio* f. s.

Ablatio hostiae consecratae etiam iure antiquo ut gravissimum crimen habebatur, imo erat inter novem *degradatione* reali mulctata.[2] Tamen nulla censura l. s. in illud erat constituta, sed leges civiles, cui reus iuxta bullas pontificias erat tradendus eum *morti* damnabant. At cum hodie haec scelera, in foro saeculari, aut impunita maneant aut certe levi poena plectantur,[3] Ecclesia debuit suis mediis, severissima videlicet censura, tanto facinori coercendo providere.

2. Abutitur Eucharistia ideoque delinquit etiam *sacerdos* qui sine licentia eodem die *missam iterare,* aut sine legitima causa[4] *non ieiunus* eam celebrare *praesumit.* Ignorantia et metus excusat.

---

[1] Ut ecce fur qui, sublata pyxide, fugiens particulas in scabello altaris spargat.

[2] *Innoc. XI,* const. *Ad nostri apostolatus,* 12 mart. 1677; *Alex. VIII,* const. *Cum alias,* 22 dec. 1690; *Ben. XIV.* const. *Ab augustissimo,* 5 mart. 1744. Est ergo delictum satis recenter in iure specifice consideratum. cf. *Kober,* Deposition, 788; *Hinschius,* V, 755.

[3] CI a. 142: qui *publice* res sacras destruit, vastat, contemnit punitur carcere 3-30 mens.; CG § 166; CA §§ 122 et 175. In Gallia nihil.

[4] Quaenam sint istae causae v. apud moralistas, ex. gr. *Noldin,* III, 156.

Poena (can. 2321): *suspensio* a missae celebratione f. s. ad tempus ab Ordinario praefiniendum.

Olim prima species facti sine poena, altera excomm. f. s. multata.[1]

62. Usurpatio ordinis sacerdotalis habetur si actiones sacrae, quae iure divino aut canonico sacerdotibus sunt reservatae, ab eo ponantur, sive clerico sive laico, qui ad ordinem sacerdotalem promotus non est. Unde ex hoc capite *numquam* reus fieri potest *sacerdos*, quamvis vitandus, interdictus, suspensus sit, ideoque severissime ab ordinis exercitio prohibitus.

Usurpatio multimode committi potest, sed graviore sanctione *duo delicta* plectuntur:

1. *Missae* celebrationem *simulare,* i. e. ita ritus, caeremonias perficere ut adstantes decipiantur. Quae deceptio requiritur at sufficit quoque ad elementum obiectivum criminis, licet forte non omnia adamussim peragantur aut verba consecrationis omittantur.

2. Sacramentalem *confessionem* excipere, i. e. alterius peccata audire, in eiusmodi adiunctis, ut ille putet se ea in ordinem ad absolutionem accusare, licet haec ex quolibet praetextu non detur.

Poenae (can. 2322, § 1): *a) excommunicatio speciali* m. reservata l. s.
b) laico insuper *privatio* pensionis aut muneris aliaeque poenae arbitrariae, f. s.
c) clerico *depositio* f. s.

Mitius iudicatur:

3. *Alia munia* sacerdotalia *usurpare,* ex. gr. sacramenta vel sacramentalia administrare, benedicere, exorcizare, mortuos sepellire, quatenus haec a sacerdotibus exercenda sunt.[2]

Poena (can. 2322, § 2): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

Exercitium *ordinis non recepti* iam in antiqua Ecclesia puniebatur. Praesertim vero duplex delictum usurpati sacerdotii in missae celebratione et sacramentali confessione inde a saec. VIII speciali rigore multatum est.[3] Durante medio aevo mitior disciplina quidem invaluit, quae etiam in iure Decretalium recepta est, at post reformationem antiqua severitas, per bullas pontificias,[4] est

---

[1] c. 16, C. VII, q. 1.

[2] Baptizare enim in casu necessitatis cuique fas est (can. 759), benedicere aliquando diaconis et lectoribus (can. 1147, § 4), praedicare diaconis (can. 1342, § 1).

[3] *Kober,* Deposition, 780 ss.

[4] *Clemens VIII,* Const. *Et si alias,* 1 dec. 1601; *Urbanus VIII,* Const. *Apostolatus officium,* 23 mart. 1628; *Ben. XIV, Sacerdos in aeternum,* 20 apr. 1744, cf. *Kober,* o. c. 782 ss.; *Thesaurus,* P. II, v. Ordo, c. 32.

denuo instaurata, atque huiusmodi delinquentes *degradati* curiae saeculari tradebantur, quae eos morti dabat.

Usurpans alia munia excommunicatione f. s. puniebatur.[1]

63. Blasphemia, qua Deo *ore* iniuria irrogatur, duplex distingui solet. Altera *enunciativa* est, quae committitur cum Deo negatur quod ipsi convenit vel tribuitur quod ab ipso alienum est, quocirca etiam haereticalis appellatur, cum manifestum errorem contineat, et haereticus habendus esset qui eam profert si re vera idem interne quoque sentiret. Altera *imprecativa,* cum quis in Deum malum aliquod imprecatur vel eum conviciis insectatur. Et cum in ipsius Dei iniuriam etiam Deiparae imprecari vel Sanctis redundet, et haec blasphemia dicitur. E contra, quia verba, in iure praesertim poenali, accipere debemus secundum eorum vim propriam, iniuria factis vel signis contumeliosis expressa non constituit elementum obiectivum *huius* delicti,[2] sed, pro re nata, aut qua sacrilegium aut qua scandalum (ex can. 2222, § 1) punienda erit.

Poena (can. 2323): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

Primis saeculis nulla lex ecclesiastica contra blasphemos lata cognoscitur; ius imperiale vero eos morte afficiebat.[3] Gravissimas poenas indixit Leo X, dein Pius V,[4] at in usu tribunalium etiam Romanorum non sunt receptae. Cum delictum esset mixti fori, excepta blasphemia haereticali, sed de hac quoque iudices laici ex consuetudine viderent,[5] potius poenae saeculares, quae atrociores erant,[6] applicabantur.

64. Periurium est *dolosa* iuramenti violatio. Iusiurandum autem non fit nisi invocato *nomine divino* in testem veritatis[7] sive assertionis sive promissionis, quare si quis alio modo fidem suam interponat et non liberet, delicti canonici reus non intelligitur. Iusiurandum quod stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur,[8] etiam per vim aut metum gravem extortum valet,[9] quia praeprimis reverentia

---

[1] *Hollweck,* § 261.

[2] *Ballerini-Palmieri,* o. c. II, 513; *Wernz,* VI, 304, n. 6 contra *Hollweck,* § 127.

[3] c. 1, Nov. 77. cf. *Devoti,* l. IV, tit. 10.

[4] Constit. *Cum primum,* 1 apr. 1566.

[5] *Maschat-Giraldi,* Institutiones can. IV (Florentiae 1855) 147.

[6] De his v. *Pertile* o. c. § 194. Quoad modernas leges cf. CG § 166; CA § 122 a. In Italia ubi horribile hoc vitium tam late invaluit, leges veterum codicum particularium in novum generalem non sunt receptae quia «l'indirizzo moderno della *civiltà* e lo stato della *scienza* e della pubblica opinione più non permettono di configurare i cosi detti delitti di religione» (Atti uffic.). Item in Gallia a. 260 abrogatus est.

[7] can. 1316.

[8] can. 1321.

[9] can. 1317, § 2.

Deo debita attenditur, secundarie tantum rationes utilitatis privatae vel socialis. Non esset igitur haec causa dirimens delictum.

Assertorium aut *promissorium* est sacramentum, utrum violetur lex non distinguit. Porro *iudiciale* vel *extra-iudiciale*. Alterum dumtaxat hoc loco consideratur, ut puta est quod ineuntes officium munusve ecclesiasticum praestare tenentur,[1] at etiam iusiurandum in civili negotio imo et in tribunali laicali emissum, quamvis de huiusmodi crimine, utpote mixti fori, iudex ecclesiasticus pro regula saeculari praeventionem permittat.[2] Periurium in *iudicio canonico* vero secundum peculiares canones ordinis procedendi iudex causae punire debet.[3]

Poena (can. 2323): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.[4]

Adversus periuros iampridem plures et durissimae poenae erant constitutae cum iure canonico (quoad clericos usque ad depositionem vel degradationem),[5] tum iure civili.[6]

65. Mercimonium missarum. Stipendiis missarum mercari vel, eo turpius, ex eis lucrum quaerere cum propter irreverentiam rei sacrae illatam tum propter scandalum et iniustitiam prorsus prohibitum est. *Triplex* species facti datur: *a*) si pro celebratione missarum mercatorio modo *merces* dantur,[7] sive hoc fiat in commodum sacerdotis sive negotiatoris, *aut* si stipes in hunc finem negotiatoribus traduntur;[8] *b*) si *minor numerus* missarum celebratur quam stipendia etiam exigua acceptata fuerunt,[9] *c*) si quis acceptas stipes *manuales* ad alios non integras trasmittit, sed aliquid inde retinet, *nisi* aut id oblator expresse permiserit aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae.[10]

Poena (can. 2324): *indeterminata* arbitrio Ordinarii qui, pro gravitate culpae, in *clericos* vel usque ad suspensionem, privationem officii et beneficii, in *laicos* ad excommunicationem procedere potest.

Postquam Conc. Trid. sess. XXII, in decr. *de observandis et evitandis in celebratione missarum,* omnia «quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt», omnino prohibuerat, complures editae sunt leges contra

---

[1] Cardinales can. 234, episcopi can. 332 § 2, consultores can. 425 § 2, officiales Curiae can. 364 § 2, iudices can. 1621, ordinandi can. 956 etc.

[2] can. 1933, § 3.

[3] can. 1743, 1744, 1746.

[4] Insuper periuri nec testes (can. 1756, § 2) nec periti (can. 1795, § 2) esse possunt.

[5] *Hinschius*, V, 184; *Hollweck*, § 128.

[6] Modernae poenae in CI aa. 218, 221; CGa aa. 361-366; CG §§ 153, 154, 159; CA §§ 199a, 204.

[7] Ideo non directe ab eo qui missam *pro se* petit. cf. *Hollweck*, § 126.

[8] can. 827. Licet neutra pars lucrum faciat.

[9] can. 828.

[10] can. 840, § 1.

huiusmodi non infrequentes abusus.[1] Ius hucusque vigens continebat *excommunic.* l. s. simpl. reservatam in *colligentes* eleemosynas et ex eis lucrum captantes faciendo eas celebrare minore pretio (*Ap. S.* II, 12) *necnon*, ex decr. Pii X, *Ut debita*, 11 maii 1904, *suspensionem* l. s. R. P. reservatam *a divinis* in sacerdotes, *ab ordinibus* in reliquos clericos, *excommunicationem* l. s. Ordinario reservatam in laicos qui stipes mercibus commutassent.[2] Ex dictis patet nunc rigorem iuris mitigatum esse.

66. Superstitio est generale nomen delictorum religioni oppositorum *per excessum*, quod complures species continet.

1. Huc veniunt praesertim actiones quibus *cultus indebitus* redditur creaturae, quaeque ad quattuor classes reducuntur: *idololatriam, divinationem, vanam observantiam* et *magiam.* Prima est apostasia;[3] *divinatio*, qua res occultae ope daemonis expresse vel tacite invocati indagantur, olim per astrologiam, auguria, sortes exercebatur, hodie praeprimis per spiritismum et hypnotismum; *vana observantia*, qua quis expresso vel implicito pacto cum daemone aliquid efficere nititur, si ad mirabilia operanda tendit proprie *magia*, si ad damnum aliis inferendum *maleficium* vocatur.[4]

Quae omnia, quatenus occurrant, etiamsi nullo modo probari possit interventus diabolicus, sane delicta canonica constituunt, dumne deficiat elementum subiectivum.

Poena (can. 2325): *indeterminata* arbitrio Ordinarii, «salvis poenis iure statutis contra aliquos actus superstitiosos», quae clausula de antiquis poenis non est profecto intelligenda.

Non solum ethnica antiquitas superstitiosissima fuit, sed etiam medium aevum plurimum de divinationibus et magicis artibus fabulavit et deliravit.

Diabolum in res humanas influxum exercere *posse*, theoretice prorsus dubitandum non est, at eius interventum in casu singulari determinare est *quaestio facti* sane difficillima. Nimia credulitas causam dedit famosis illis processibus contra *sagas*, qui iam saec. XIII incoepti, praesertim a saec. XVI usque ad XVIII tot infelices mulieres, abominabili modo, suppliciis affecerunt. Sed hoc potius ad historiam iuris saecularis pertinet;[5] Ecclesia, pro officio suo, contra superstitiones multimodas ex ethnicismo in populis christianis superstites, inde a primis saeculis poenis canonicis processit. Notissimae sunt imprimis bullae Leonis X, *Supernae* (1514), Sixti V, *Coeli et terrae* (1586), Gregori XV, *Omnipotentis Dei* (1623), Urbani VIII, *Inscrutabilis* (1631).

---

[1] *Innoc. XII*, Const. *Nuper*, 23 dec. 1697; *Ben. XIV*, ep. *Pro eximia*, 30 iun. 1741 et const. *Ad militantis*, 30 mart. 1742 ac praesertim recentiora decreta C. C. *Vigilanti*, 25 maii 1893 (AS XXVI, 56-59) et *Ut debita*, 11 maii 1904 (AS XXXVI, 672 ss.)

[2] cf. *Ferreres*, Messe manuali,[3] Roma 1913, 19 ss.; 37 ss.; *Hollweck*, §§ 125, 126.

[3] Saltem in foro externo.

[4] Plura v. apud theologos morales: *Noldin*, II, 151 ss.; *Génicot*, I, 262 ss. vel antiquiores canonistas: *Devoti*, IV, tit. 13 et 14; *Thesaurus*, P. II. v. Superstitio; *Reiffenstuel*, l. V, tit. 21 etc.

[5] cf. *Pertile*, o. c. § 194; *Funk*, Kirchengeschichte,[6] Paderborn 1911, § 156 ubi litteratura allegatur.

2. Superstitio cultus falsi est *falsas reliquias* colendas proponere. Ad delictum constituendum requiritur ut quis falsas reliquias *aut* conficiat *aut scienter* (seclusa igitur ignorantia etiam crassa) vendat, distribuat vel publicae fidelium venerationi exponat.

Poena (can. 2326): *excommunicatio* Ordinario reserv. l. s.

Iam in antiquitate christiana sed praesertim medio aevo haud paucas falsas reliquias invectas esse satis notum est. Inde leges ecclesiasticae, quae abusibus providerent, iam pridem latae sunt.[1] Sed specialis poena iure communi hucusque non erat constituta. Vigebat, e contra, excomm. l. s. in extrahentes reliquias ex catacumbis Rom. (*Ap. S.* II, 15), quae censura hodie sublata est.

67. Sacrilegium, sensu proprio, est *indigna tractatio rei sacrae,* rei videlicet quae *publica* auctoritate Deo dicata est, et sub ea ratione qua dicata est.[2] Et cum vox res etiam personas et loca cumplectatur, (unde triplex genus sacrilegii: *personale, locale, reale*) definitio tam lata est ut impossibile evadat speciem facti delicti huius nominis, quod potius commune est quam proprium, circumscribere. Occidere enim et furari et fornicari et legem ferre sacrilegium esse potest. Praecipua revera huiusmodi crimina speciali lege plectuntur, hic autem tribuitur iudici generalis facultas animadvertendi etiam in ea quae alibi in C. non considerantur. Huc venit:

1. Sacrilegium *reale* eius qui re aliqua ad divinum cultum, essentia sua vel dispositione Ecclesiae, ordinata (ut sunt sacramenta, sacramentalia, vasa sacra etc.) abutitur.

2. Sacrilegium *locale* illius qui *ecclesiam* vel *coemeterium* violat. Quod fit per homicidium, iniuriosam et gravem sanguinis effusionem, impios et sordidos usus, sepulturam infidelis vel excommunicati post sententiam, dummodo hi actus sint certi, notorii, in ipso loro sacro positi.[3]

3. *Sepulcra* quoque sacra sunt et ideo delictum est ea violare ad furtum vel alium malum finem. Cuius delicti poenas, ex analogia, ius etiam ad eos extendit qui eadem mente *cadavera* violant. Ubi animadvertendum est nullam fieri distinctionem inter sepulcra et cadavera christianorum vel aliorum.[4]

Poenae: ad I (can. 2325): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.
ad II (can. 2329): *interdictum* ab ingressu Ecclesiae f. s., *aliaeque* congruae poenae arbitrio Ordinarii.
ad III (can. 2328): *interdictum personale* f. s., *infamia* iuris l. s., clerico insuper *depositio* f. s.

---

[1] cf. *Wernz*, III, 384; *Hinschius*, IV, 263 ss.

[2] Ut puta sacerdos in ordinem ad castitatem servandam.

[3] can. 1172 et can. 1207.

[4] Quamvis conceptus delicti contra *religionem* exulet, nisi religio sensu lato accipiatur, quo Romanis et modernis legibus sepulcra et cadavera, per se, res religiosae sunt.

Sacrilegium (sacrum legere) est in iure Romano classico *furtum* rei sacrae (qualificatum), eodemque sensu etiam a scriptoribus christianis trium priorum saeculorum accipitur. Sed inde a saec. IV conceptus sacrilegii ad violationem cuiusque rei sacrae, imo in iure imperiali ad omnia delicta contra religionem, contra principem et contra complures leges civiles extensus est. Crimen erat *capitale*. Iure ecclesiastico autem puniebatur excommunicatione aliisque poenis spiritualibus, in regionibus Germanicis etiam compositione. A Gratiano, sub influxu iuris Romani, notio sacrilegii iterum ad omnia delicta contra religionem, imo interdum ad violationem cuiusque legis canonicae extenditur, quae notio dein immutata manet, poenae vero aevo Decretalium exasperantur et, praeter excommunicationem, *interdictum* quoque ac privatio sepulturae constituitur.[1] Recentiore tempore tamen, saltem in praxi, valde mitigatae erant.

Delictum *violati sepulcri* est specificum in iure Romano (cf. D. 47, 12; C. 9, 19, poena infamiae aliaeque etiam capitales) et recensetur a Patribus graecis IV saec. inter canonica.[2] Deinde in iure nostro non amplius seorsim occurrit, ita ut novum nunc in C. appareat, ad instar iuris poenalis civilis.[3]

4. Irreverentiam rei sacrae infert etiam ille qui *ex indulgentiis quaestum* facit. Hoc delictum maxime quidem redolet simoniam, quae tamen etiam sacrilegii species est. *Quaestum* facit qui lucro adactus et pecunia *accepta*[4] indulgentias vel concedit, *vel* concessas promulgat, *vel* facultate delegata applicat, *vel* obiecta indulgentiis ditata pluris vendit. Agi tamen debet de veris indulgentiis: falsis lucrari est fraus non sacrilegium.[5]

Poena (can. 2327): *excommunicatio simpl.* reservata l. s.

Quot et quanta mala ex venditione indulgentiarum Ecclesiae obvenerint, historia narrat. Unde propemodum ac indulgentiae leges canonicae contra abusus antiquae sunt.[6] Hodierna legislatio autem derivat a severissima Const. Pii V *Quam plenum*, 2 ian. 1570, quam Const. *Ap. S.* (II, 11) confirmaverat quoad censuram. Haec quoque nunc aliquatenus mutata est.[7]

III. DELICTA CONTRA AUCTORITATES, PERSONAS, RES ECCLESIASTICAS

a) Contra auctoritates.

68. Delicta in eligendo Pontifice. Eruditionis gratia et haec, etsi non quotidiana, meminisse iuvabit. Sublatis omnibus antiquioribus legibus, unica nunc viget ad rem Const. Pii X *Vacante Sede*[8] (can. 2330) in qua *novem* delicta

---

[1] *Ludwig*, Geschichte des Sacrilegs nach den Quellen des k. Kirchenr. in AK LXIX (1893) 169-249.

[2] *Ludwig*, l. c. 172, 178.

[3] CI aa. 142-144; CGa a. 360; CG § 168; CA § 306.

[4] Non tantum spe accipiendi illectus. cf. *D'Annibale*, Comm. 100.

[5] Ita etiam *Caviglioli*, 119 contra *Cerato*, 76 et *Pighi*, 72, qui tamen suae sententiae rationes non suppeditant.

[6] Iam inde a saec. XIII, cf. *Hinschius*, V, 247, 249, 720 s.

[7] Ius antiquum v. in *Hollweck*, § 123.

[8] 25 dec. 1904, in app. I C. allata.

praevidentur: a scrutinio abesse (Const. n. 37); ephemerides quotidianas vel periodicas extra conclave mittere (n. 50); secretum conclavis violare (nn. 51, 69); secretum scrutinii vel congregationum Cardinalium pandere etiam familiaribus vel conclavistis (n. 52); simoniace eligere vel eligi (n. 79); *veto* in qualibet forma etiam simplicis desiderii proponendi munus suscipere, illud, quacumque ratione cognitum, quolibet modo manifestare, sive ante conclave sive ipso perdurante (n. 81); praesumere, vivente Romano Pontifice, de successoris electione *tractare* vel suffragium *polliceri* (n. 80); *pacisci, convenire, promittere* vel aliam quamcumque obligationem assumere ut suffragium alicui detur vel non detur (n. 82).

Denique ultimum delictum, quod omnes fideles committere possunt, est eius «qui litteras super negotiis quibuscumque confectas, quae a R. P. ante coronationem suam emanaverint, *audeat impugnare*» (n. 88). Videlicet iste ipsam *auctoritatem* Pontificis iam valide electi negaret; quod quidem olim evenisse constat, hodie perarum erit et, si fiat, quaelibet voluntarii imminutio a poena excusat.

Poena vero omnium recensitorum delictorum est *excommunicatio l. s.* ita *reservata* ut «a nullo praeterquam a Romano Pontifice absolvi possit nisi in mortis articulo» (n. 51) et in casibus urgentioribus.[1]

Praeterea delictum declaratur *violatio clausurae* conclavis, cui poenae statuuntur f. s. arbitrio futuri Pontificis, et insuper qui clam conclave ingressus fuerit *ipso facto* privatur omni honore, gradu, officio, beneficio (nn. 48, 49).

69. Denegatae obedientiae delictum habetur si quis legitimae auctoritati non solum non pareat, sed in eiusmodi adiunctis non pareat ut, *saltem implicite*, ipsam auctoritatem non agnoscere vel contemnere videatur. De obedientia *canonica* agitur, quae supponit superiorem ecclesiasticum *legitimum, competentem, licita imperantem.* At bene animadvertendum est, in utroque foro, haec praesumi pro superiore contra subditum etiam in casu dubio. Praeceptis canonice datis omnes fideles teneri, eo magis clericos, explorati iuris est.

Ex hoc capite igitur imprimis reus est:

1. qui Romano Pontifici vel proprio Ordinario *aliquid* praecipienti *pertinaciter* non obtemperat. Qui R. P. *universim* subesse renuit est schismaticus (cf. n. 57). *Ordinarius* generaliore sensu hic accipitur, ita ut omnes superiores iurisdictione in foro externo praeditos, etiam regulares,[2] non autem parochos, indicet. Ad delictum constituendum requiritur *pertinacia*, de qua constat si iussa *iterata* fuerint vel data *monitio*, cuius subditus nullam habuerit rationem.[3]

Poenae (can. 2331, § 1): *indeterminatae*, non exclusis *censuris.*

2. Qualificatum fit delictum et ideo gravius si accedat *conspiratio* aut subditorum ad inobedientiam *provocatio.* Etiam hic ius tuetur aucto-

[1] Quod in Const. quidem non dicitur, sed certum videtur quia can. 2254, § 1 nullam innuit exceptionem («quoquo modo reservatis»). Ita etiam *Cappello* 184, contra *Cerato* 107.

[2] can. 198.

[3] Semper requiri *monitionem* affirmare nollem, cum nec in canone hoc dicatur nec ex natura rei ad pertinaciam constituendam in quolibet casu necessaria sit. Eam postulabat autem ius antiquum. cf. *Hollweck*, § 134.

ritatem Rom. Pontificis (eiusve Legati) et *proprii* Ordinarii eorumque legitima mandata. Quod delictum iam continet specialem malitiam et contemptum, ita ut pertinacia, quae implicita est, expresse non requiratur. *Conspiratio* datur quotiescumque *plures* conveniunt de obedientia deneganda vel auctoritate subvertenda et latius patet quam coniuratio;[1] *provocatio*, ex vi vocis, perfecta est etiamsi effectus intentus non sequatur.

Poenae (can. 2331, § 2): *a) indeterminatae* etiam censurae,
b) clericis *privatio* dignitatis, officii, muneris, f. s.
c) religiosis *privatio* vocis activae et passivae, officii, f. s.

Conspirantes contra R. P., proprium Episcopum vel superiorem regularem plectebantur hucusque excommunicatione f. s. si laici, depositione si clerici, utrique infamia innodabantur.[2]

3. Insignis iniuria *auctoritati* Rom. Pontificis infertur per *appellationem ad concilium,* cum appellare sit ab inferiore iudice ad superiorem provocare ut illius sententia reformetur,[3] Pontifex autem superiorem non habeat.[4] Sed hic terminus latius patet et quemcumque actum pontificiae potestatis (legislativae, iudicialis, administrativae) complectitur. *Pontificius* actus dicitur, non Sedis Apostolicae, quocirca decreta et provisiones Curiae, nisi speciali mandato Pontificis editas aut in forma specifica confirmatas, haec lex non tuetur. Ad elementum obiectivum pertinet praeterea ut appellatio fiat ad concilium *oecumenicum,*[5] praesens vel futurum, et contra Pontificem *viventem.* Nihil interest autem *a quo* fiat, a persona physica (et neque Cardinales neque reges excluduntur) vel a persona iuridica seu corpore morali; eo minus refert quod appellatio incassum cedat.

Poenae (can. 2332): *a) excommunicatio speciali* m. reservata, l. s. in omnes et singulos.
b) suspicio de haeresi.
c) interdictum speciali m. reservatum l. s. in personas morales. Quod causam dantes *personaliter* tenet, reliquos in communi tantum.[6]

Huius delicti constituendi origo in controversiis saec. XV, cum *theoria conciliaris* late invaluit, quaerenda est.[7] Primus Pius II, celeberrima bulla *Execrabilis* (1459), abusum appellandi damnavit adiecta poena excommunicationis

---

[1] cf. *Thesaurus*, P. II, v. *Conspiratio.*
[2] *Hollweck*, § 145; *Thesaurus*, l. c.
[3] can. 1879.
[4] can. 218, § 1 et can. 228, § 2.
[5] Non ad particulare vel ad futurum Pontificem vel ad Christum, ut Lutherus fecit.
[6] cf. can. 2274, can. 2275, can. 2276. Personam moralem oportet *legitime* coaluisse ad licitum finem ecclesiasticum vel civilem.
[7] *Funk*, o. c. § 146.

aliisque. Quas sanctiones Iulius II (1509) et dein Greg. XIII (1577) iteravit.[1] Modernum ius desumptum est ex const. *Ap. Sed.* (I, 4 et VI, 1), quibusdam immutatis: unde hodie constat nefas esse appellare etiam a legibus *universalibus* et ad *praesens* concilium, quod multi olim negabant hoc delictum constituere. Praeterea plectebantur ei «quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit», nunc secundum principia complicitatis iudicandi.

70. Status contra Ecclesiam. Omnimoda independentia auctoritatis ecclesiasticae iure minime quidem sed facto et iniuria impediri vel coarctari potest a *potestate civili*, sive suprema sive subordinata. Unde alia specifica delicta exurgunt:

1. *Violata libertas* litterarum vel actorum Sedis Apostolicae (can. 2333). Et quidem *quorumlibet*, atque sive Pontificis ipsius, sive congregationis, tribunalis vel officii Curiae Rom., sive Legati Pontificii, quo nomine Nuntii et Internuntii et Delegati veniunt,[2] non autem legati nati.[3] Hoc delictum multifarie committi potest, quare tres delinquentium ordines distinguuntur: recurrentes, prohibentes, laedentes vel perterrefacientes. *Recurrentes* ad laicos magistratus, quicumque tandem sint,[4] ut hi *potestate sua*[5] abutentes acta pontificia iam *edita* impediant. *Prohibentes* i. e. iidem magistratus[6] qui promulgationem (non meram evulgationem) vel executionem eorundum actorum impediunt, sive *directe,* per se vel per interpositas personas, ne quae necessaria sunt ad effectum fiant obsistendo, sive *indirecte* interdicendo ne partibus tradantur aut ipsae traditis utantur. Et indirecte prohibere dicuntur etiam qui haec a laica potestate postulant. Demum *laedentes* et *perterrefacientes,* ad eundum malum finem, eos ad quos litterae vel acta pertinent: sive mittentem, sive accipientem, sive inter utrumque mediatorem, sive eorum necessarios.[7] Laedet qui grave damnum bonis *corporis* infert, perterrefacit qui minis atrocibus animum obnitentis frangit.

Ad elementum obiectivum requiritur, in quolibet casu, effectus secutus.[8]

2. Edere *leges*, *mandata* vel *decreta* contra libertatem aut iura Ecclesiae (can. 2334, § 1). Lex hodie comitiis, senatu, principe conspirantibus fit; ea promulgata omnes, quibus placuit, rei sunt. Mandata et

---

[1] *Hinschius*, V, 723 ss.

[2] can. 267.

[3] can 270.

[4] Non videtur sustinenda *distinctio*, a multis ex antiquioribus DD. statuta (*D'Annibale*, Comm. 54; *Ballerini-Palm.* VII, 284; *Bucceroni*, 35 imo adhuc *Pighi*, 57) inter magistratus qui *iurisdictionem* habent necne, quia omnes habent potestatem.

[5] Igitur qua tales.

[6] Agitur enim semper de abusu *publicae* potestatis, non de vi privata. Interpretatio praevalens contra paucos antiquiores (cf. *D'Annibale*, o. c. 55) et *modernos* (cf. *Hollweck*, § 131).

[7] *D'Annibale*, 56.

[8] Saltem ex sententia interpretum Const. *Ap. S.*, quam legislator speciem facti ex illa depromens, ignoravisse non censetur. cf. *D'Annibale*, 57; *Bucceroni*, 35 aliosque.

decreta a quacumque auctoritate etiam minore condi possunt: illa singulis haec universis feruntur. Delinquunt *edentes* non exequentes, unde nec officiales qui leges urgent neque iudices qui eas applicant poena tenentur.

Libertas et *iura Ecclesiae* latissime accipienda sunt: sive spiritualia sive temporalia, sive fundamentalia ex eius constitutione et perfectione manantia sive derivata, sive historica iura sint.[1]

3. *Exercitium iurisdictionis* ecclesiasticae utriuslibet fori *impedire*, directe vel indirecte, per recursum ad quamlibet *laicalem* potestatem (can. cit. § 2). Etiam hoc delictum per incursionem auctoritatis saecularis in res ecclesiasticas perficitur,[2] ac praecedenti respondet, quatenus illic leges mandata ferentes hic eisdem abutentes considerantur.

Ad *iurisdictionem* autem refertur omnis potestas in Ecclesia quae ordinis non est; ideo et leges ferendi et ius dicendi et coercendi et docendi et administrandi.[3] Huius iurisdictionis, sive ordinariae sive delegatae sive externi sive interni fori, *exercitium impedire* (nempe obsistere ei penes quem est ne iurisdictione uti incipat vel pergat, non item eum cogere ut exerceat aut vexare quia exercuit)[4] criminosum est, si fiat *interposita potestate civili,* quae, vel directe ipsum iurisdictione praeditum vel indirecte eius ministros vel carissimos insectando, intentum *effectum obtineat.* Si autem dumtaxat preces, blanditiae, fallaciae adhibeantur, exulat delictum, quia hoc impedire sensu proprio non dicitur.[5]

Poena ad 1, 2 et 3: *excommunicatio speciali* m. reservata, l. s. Insuper (can. 2336) in clericos delictorum sub 2 et 3 reos *suspensio* vel *privatio* beneficii, officii, dignitatis etc., in religiosos *privatio* officii, vocis activae et passivae necnon poenae in constitutionibus contentae.

Litteras apostolicas impedire iam pridem usu venit, et quidem initio a Praelatis ecclesiasticis qui, periculum fraudum praetexentes, sibi suisque officialibus ius, quod *Placet* aut *Vidimus* appellabatur, vindicaverunt permittendi vel interdicendi earum promulgationem aut executionem. Contra eos diriguntur

[1] Quatenus scilicet Ecclesia expresse vel tacite aliquibus non renuntiaverit.

[2] Et in hoc est notabilis limitatio iuris antiqui.

[3] Quapropter nimis mihi videntur coarctare conceptum iurisdictionis multi DD., qui potestatem docendi (adhuc *Caviglioli*, 103) et acquirendi alienandi etc. ab ea excludunt. cf. *D'Annibale*, 43; *Bucceroni*, 33 aliosque. Hoc cohaerere non videtur cum genuina notione iurisdictionis et gemina (non trigemina) partitione universae potestatis ecclesiasticae, quae in iure canonico prorsus tenenda est. *Wernz*, II, 3; cf. can. 2279. Admittendum tamen est impedimentum intendere debere *ipsam* iurisdictionem non alium finem, ut puta si quis impediat alienationem praedii ecclesiae ut illud serius minoris emere possit. *Hollweck*, § 132.

[4] Neque, meo sensu, cogere ut actum iam positum retractet, ut censet *Hollweck* l. c., quia iurisdictione, non impeditus, iam functus est.

[5] *D'Annibale*, 45.

primae bullae Bonif. IX (1389—1404) et Martini V (*Quot antidota*, 1418). Sed praesertim principes hanc potestatem sibi tribuerunt, unde *Placet regium* late applicatum est. In utrosque proinde feruntur sanctiones sequentium Pontificum, Iulii II, Leonis X, Clem. VII,[1] quae praeter excommunic. etiam interdictum ambulatorium statuunt.[2] Similiter damnatus est *recursus ab abusu* qui proprie a sententiis iudicialibus fit (Innoc. VIII et Greg. XIII).[3] Iisdem aliisque peculiaribus constitutionibus, inde a Bonif. VIII (c. 4, in VI. 3, 23) etiam libero exercitio iurisdictionis ecclesiasticae cautum est.[4]

In modernis legibus civilibus formaliter *placet* et *recursus* plerumque non amplius continentur, attamen non desunt dispositiones quibus libertas Ecclesiae aut violatur aut violari potest.[5]

Delicta supra recensita excommunic. l. s. speciali modo reservata plectebantur in bulla *A. S.* (I, 8, 7, 6), ex qua, quibusdam immutatis, can. 2333—2334 desumpti sunt.[6]

71. Sectae massonicae aliaeve *eiusdem generis* societates vel ex instituto vel saltem de facto contra omnem legitimam potestatem, praesertim vero contra ecclesiasticam *machinari* consueverunt atque haud immerito animorum, opinionis, legum *libertati iuribusque* Ecclesiae, in modernis civitatibus, *hostilium* magnopere auctores esse censentur. Quare delictum canonicum est eis *nomen dare.* Mala moliri massonicas sectas, earumque filias, iure absolute praesumitur, quoad reliquas est de unaquaque probandum. Notandum satis esse ut etiam soli societati et legitimae auctoritati *civili* insidias parent, ut puta factiones *anarchicae.*[7] Regiminis mutandi conatus, pro iure publico hodierno, non videntur huc venire, ideoque *socialistae* hac lege poenali non teneri.[8] De quibusdam societatibus dubium esse potest.[9] Ratio autem eas eximendi non est quod socii *non* sint occulti,[10] quamvis secreta debeat esse societatis prohibitae organizatio.[11]

---

[1] Iulius II excommun. in bullam *In coena Dom.* inseruit (1511); Leo X, *In supremo* 1519, Clem. VII, *Romanus Pontifex* 1533.

[2] *Pennacchi*, I, 273 ss.; *Rivet*, 101 ss.; *Hinschius*, V, 725 s.

[3] Innoc. VIII, *Officii nostri* 1491; Greg. XIII bullae *In C. D.* censuram inseruit.

[4] *Hinschius*, V, 731 s.

[5] In Italia conservatum est *placet* et *exequatur* quoad collationes beneficiorum; praeterea complures leges violant immunitates ecclesiasticas et in CI aa. 182-184 cavetur ne clerici «abutantur officio suo». Similes leges in CGa aa. 199-208. In Germania leges singularum civitatum Ecclesiae libertatem limitantes nova constitutione abolitae sunt. In Austria l. 7 maii 1874, § 28. Nullibi vero perfectio iuridica Ecclesiae agnoscitur.

[6] Qui plura de iure antiquo vult adeat interpretes laudatae bullae A. S.

[7] *Noldin*, 74; *Génicot*, II, 596.

[8] *Noldin*, l. c.; *Lehmkuhl*, II, 1226 aliique contra *Génicot*, l. c. aliosque.

[9] Certe sub poena cadit societas *fenianorum* (S. O. 12 ian. 1870), valde suspectae sunt societates cremandis cadaveribus (S. O. 19 maii 1886), damnatae at non certe massonicae societates quaedam americanae et societates biblicae.

[10] S. O. 10 maii 1884 (AS XVII, 44).

[11] Quod ostendit *Vermeersch*, o. c. 82 ex actibus pontificiis. Assentiuntur *Noldin*, l. c.; *Laurentius*, Institut. I. C.[2] Friburgi 1908, 416; *Hollweck*, § 104.

Poena (can. 2335): *excommunicatio* Sedi Ad. *simpl. reservata* l. s. Praeterea in clericos et religiosos poenae delicti praecedentis (supra n. 70) et ipsi S. O. denuntiandi sunt.

Contra massones primus Clem. XII, constit. *In eminenti*, 28 apr. 1738, poenis animadvertit, complures deinde Pontifices sectas damnarunt, recentissime Leo XIII encycl. *Humanum genus*, 20 apr. 1884 (AS XVI, 417). Censura quae in const. *A. S.* (II, 4) continebatur etiam «iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes: earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes» percellebat.

72. Aliud delictum *impeditae ecclesiasticae iurisdictionis* committitur popularibus turbis commotis. Huius duplicem formam C. cavet: *a) parochi* qui *ausus fuerit* turbas ciere, publicas pro se subscriptiones promovere, populum sermonibus aut scriptis excitare aliaque similia agere, ut superiores ecclesiasticos prohibeat, quominus in se vel in alios iurisdictionem exerceant aut eorum decreta executioni mandentur; *b) sacerdotis* cuiusvis, qui eadem media adhibeat ad impediendum ingressum in paroeciam parochi vel oeconomi legitime nominati.

Dolum *qualificatum,* praesertim in parocho, ut reus delicti censeatur, requiri, ideoque et ignorantiae et metus et aliarum circumstantiarum quae in elementum subiectivum influere possunt rationem habendam esse, verba „ausus fuerit" satis innuunt. Quodsi Ordinarius, facultate huius canonis utens, *suspensionem l. s.* in violatores statueret, allata adiuncta poenae excludendae efficacia essent.

Poenae (can. 2337): *indeterminatae* arbitrio Ordinarii, non exclusa suspensione.

Altera species facti est prorsus nova, *prima* ex can. 18, § 1 decr. *Maxima cura,* 20 aug. 1910 (A. II, 636) de amotione parochorum desumpta. Sed hic generalioribus verbis: quare, etsi plerumque casus de parocho amoto vel depositio vel beneficio privato erit, non sunt excludendae aliae rationes quae delicto causam dare possint.

73. Censurarum contemptus, explicitus vel implicitus, legumque quae eas regunt neglectio est nota communis quorumdam delictorum, quae idcirco ipsi *auctoritati* illas statuenti iniuriam inferunt et huc pertinent.

Delinquunt igitur:

1. *Absolvere praesumentes,* sine facultate, ab excommunicatione l. s. specialissimo vel speciali modo Sedi Ap. reservata (can. 2338, § 1). Reus est qui *re vera* absolvit, *praeter* casus mortis vel urgentiores, *sciens volens.* Excusat eum proinde a poena metus et ignorantia non affectata, imo *haec* efficit ut absolutio *confessarii,* a peccato ac censura simul data, valeat, dummodo ne sit specialissimo modo reservata.[1]

[1] can. 2247, § 3

2. *Communicantes* in crimine *criminoso* cum *vitando* (can. 2338, § 2). Quod fit auxilio vel favore. *Auxilium* impendit qui probe sciens aliquem excommunicatum esse, ob delictum iam perfectum quidem[1] sed tractum successivum habens, illi idoneis mediis subvenit, ut aut ipse in sua contumacia perseveret *aut* ut scelerati effectus augeantur. *Favorem* praestat qui, licet delicti continuati nullimode particeps fiat, propter *illud* tamen delinquenti commodum aliquod materiale seu morale comparat.

3. *Clerici scienter et sponte in divinis* cum vitando *communicantes* et ipsum in divinis officiis *recipientes* (can. 2338, § 2). Cum divina officia sint «functiones potestatis ordinis quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a *solis clericis* fieri queunt,»[2] communicare vero vel recipere participationem quamdam *activam* supponant, sequitur hoc delictum committere posse *clericos* tantum cum *clericis* et quidem quatenus vitandus, *aut* simul cum communicante *aut* solus ex venia recipientis, aliquid sacri facit, non dumtaxat passive assistit, quin repellatur.

Clausula «scienter et sponte» excusat ignorantes et coactos, sententia probabilis DD. etiam episcopos.[3]

Poena ad 1. 2. 3.: *excommunicatio simpliciter* reservata l. s.

4. *Scienter celebrantes* vel celebrari facientes divina in locis interdictis, exceptis, uti patet, diebus et casibus in quibus ipsum ius hoc permittit, vel *admittentes* ad celebranda officia divina per censuram *vetita*[4] clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. Delictum non solum *celebrandi* sed et *admittendi* a solis clericis committi potest, quia proprie admittere dicitur ille cui *ex officio* spectat permittere vel prohibere; *celebrari faciendi* etiam a laicis, quia neque ad hoc requiritur officium neque verba legis sunt limitata.[5] Omnes vero dummodo elementum subiectivum quod particula «scienter» ostulat non deficiat.

Poena (can. 2338, § 3): *interdictum ab ingressu ecclesiae* l. s. «donec arbitrio eius cuius sententiam contempserunt congruenter satisfecerint.»

Licet censura non dicatur reservata, et canonistae, verbis legis innixi, doceant eam, prestita satisfactione, sine absolutione cessare (at cf. can. 2248, § 1), tamen necesse est saltem ad superiorem recurrere ut satisfactionem determinet.[6]

---

[1] Auxilium enim praestitum *in delicto perpetrando* huc non pertinet.

[2] can. 2256, 1°.

[3] *Bucceroni* 74; *Génicot*, II, 605; *Pennacchi*, I, 1053 et etiam ex recentioribus *Cappello*, 108, *Pighi*, 78. At non desunt qui contradicant; *Hollweck*, § 282; *Caviglioli*, 126. Et merito, ut mihi videtur. Alii eximunt etiam *regulares*.

[4] can. 2270-2275.

[5] Fatendum tamen est complures DD. non concedere hoc delictum comitti posse a laicis. *Génicot*, II, 625; *D'Annibale*, 161; *Bucceroni*, 113 etc.

[6] Et forte tutius erit ut superior det etiam facultatem absolvendi ad cautelam.

5. Qui *causam dederunt* interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium.

Poena (can. 2338, § 4): *interdictum personale* l. s.

6. Qui *ausi fuerint* mandare seu cogere tradi *ecclesiasticae sepulturae* infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos. Apostatas, haereticos, schismaticos *notorios* intelligimus, sive quia de secta sint sive quia alio haud dubio modo suam pravam mentem prodiderint; excommunicatos, interdictos item *manifestos* per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam: omnes vero nisi qua dederint ante mortem poenitentiae signa.[1] *Sepulturae ecclesiasticae* autem habemus definitionem legalem,[2] quam praesertim in poenalibus coarctare ad unum alterumve trium actuum e quibus consistit non oportet. Quapropter ad elementum obiectivum requiri videntur *omnes* simul: translatio, exequiae, depositio in loco legitime deputato;[3] nisi forte primus et tertius ob *extrinsecas* causas impossibilis evadat.[4] Delictum committunt, data *plena* imputabilitate et effectu secuto, *mandantes* imperio seu *cogentes* vi et metu: illi et isti videlicet auctoritate *publica*, cum mandare huius proprium sit, cogentes vero iidem ac mandantes intelligantur (*seu*).[5] Innoxii e contra sunt mandatarii, coacti, participantes. Qui autem *sponte,* nulla vi aut lege civili adacti, praedictis sepulturam donaverint, alterius specifice distincti delicti rei fiunt.

Poenae (can. 2339): *a*) in mandantes *excommunicatio nemini* reservata l. s.

b) in donantes *interdictum* ab ingressu ecclesiae *Ordinario* reservatum l. s.

7. *Insordescentes in censura,* quod provocantis animi signum est, cum censurae natura sua medicinales eo fine ferantur ut delinquens emendetur. *a*) Insordescentia proprie quoad *excommunicationem* dicitur et habetur si quis perfracte *ultra annum* satisfacere detrectaverit. *b*) At delictum est etiam *in suspensione* perseverare. Clericus suspensus post *sex menses* graviter *monendus est* ut a contumacia recedat, septimo mense inutiliter elapso reus est.

---

[1] can. 1240.

[2] can. 1204.

[3] Ita etiam *Cappello* 137 et *Caviglioli* 170. At contra nos habemus fere omnes interpretes const. *Ap. S.*, quorum auctoritas quidem, innovato iure, cogens non est, ac praeterea illud verbum «tradi» quod favere videtur eorum sententiae satis esse *depositionem.*

[4] Ut puta si propter grassantem luem translatio prohibita sit, aut quis in mari mortuus tumulo condi nequeat.

[5] Unde, si vis verborum ratio habenda est, logici sunt tantum qui aut *et* mandare *et* cogere aut neutrum auctoritate privata fieri posse docent, non item qui distinguunt inter mandantes qui potestate publica et cogentes qui *etiam* privata utantur.

Poenae (can. 2340): ad *a*) *suspicio* de haeresi.
ad *b*) *privatio* officii et beneficii f. s.

Recensita delicta et poenae etiam in iure antiquo continebantur (cf. ad 1. *Ap. S.* I, 13; ad 2. ibi II, 16; ad 3. ibi II, 17; ad 4. ibi VI, 2; ad 6. ibidem IV, 1 et VI, 2; ad 7. Conc. Trid. sess. XXV, c. 3 de r.). Canones ex bulla *Ap. Sed.* desumpti fere iidem manserunt, leviores mutationes tamen factae sunt.[1]

b) Contra personas ecclesiasticas.

74. Violatio privilegii fori. Immunitas *personalis,* qua clerici sive iure divino sive canonico gaudent, complura privilegia continet, quorum praecipua Ecclesia, praesertim boni publici et dignitatis status causa, etiam poenalibus sanctionibus tuetur. Primum huc venit privilegium fori cuius vi «clerici in omnibus causis, sive contentiosis sive criminalibus, apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent».[2] Quae lex *nec* ubique viget, quia alicubi aut concordatis aut consuetudine sublata est,[3] *nec* absolute prohibet ne clericus apud saeculare tribunal conveniatur, sed dumtaxat ne id non impetrata legitima venia fiat.[4]

Contra legem autem ad iudicem laicum clericum trahere, tamquam *reum* non tamquam testem,[5] delictum est, dummodo *subiective* plena imputabilitas non desideretur. Dicitur *trahere,* ex quo patet innoxios esse ipsum iudicem omnesque eius ministros qui lege civili adiguntur; *ad iudicem*, qui nonnisi ille qui forum contentiosum aut criminale habet esse potest, non aliqua alia auctoritas saecularis, licet de quibusdam tribunalibus administrativis moderni iuris quaestio esse possit;[6] *clericum*, nempe suo nomine non qua alterius procuratorem aut entis alicuius iuridici administratorem, et in *sua persona* non in suis decretis aut actibus.[7]

Delictum tres gradus habet, pro dignitate personarum: *a*) gravissimum est trahere Cardinales, Legatos Sedis Apost., Officiales maiores Rom. Curiae[8] *ob negotia ad eorum munus pertinentia*, Ordinarium proprium; *b*) grave alium Episcopum etiam mere titularem aut abbatem

---

[1] Vide de iure antiquo interpretes bullae A. S. saepe laudatos.

[2] can. 120, § 1.

[3] Conc. Austr. (1854) aa. 13, 14, Conc. Bav. (1817) a. 12. Et cum pro fidelibus conventiones promulgentur tamquam leges, patet quousque hae non revocentur durare, etiamsi res publica foedus ruperit, Ecclesia reclamante. Vis consuetudinis contra priv. fori diserte agnita est pro Germania in declaratione Secr. Status (1911).

[4] can. 120, § 2.

[5] Quod affirmabant complures post Pii X Motu proprio *Quantavis diligentia*, 9 oct. 1911 (A. III, 555), tamen argumentis non absolute probantibus, cf. *Wernz*, VI, 336, n. 25.

[6] Ex. gr. in Italia de *Consiglio di Stato.*

[7] Quod delictum can. 2334 esset.

[8] Quinam sint desumendum est ex legibus propriis Curiae Rom. (Const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, A, I, 7 ss.; Lex propria Rotae et Signaturae, eiusdem d. A. I, 720 ss.; Ordo servandus, eiusd. d. A, I, 36 et normae peculiares, 29 sept. 1908.)

vel praelatum nullius, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii superioribus; [1] *c*) minus grave aliam personam privilegio fori fruentem.

Poenae (can. 2341): ad *a*) *excommunicatio speciali* m. reservata l. s.
ad *b*) *excommunicatio simpl.* reserv. l. s.
ad *c*) clerico *suspensio* ab officio Ordinario reserv. l. s.; laico poenae *indeterminatae* arbitrio Ordinarii.

Forum privilegiatum clericorum iam ab imperatoribus christianis cum quibusdam limitationibus agnitum,[2] sed iterum iterumque a potestate civili impugnatum, Ecclesia mature etiam poenalibus sanctionibus defendit atque aetate merovingica et carolingica perfecte sibi vindicavit.[3] In ius commune excommunicationem l. s. contra privilegium violantes induxit Conc. Lat. III, 1179. Quae poena a compluribus Pontificibus (Mart. V, Sixto IV, Paulo III) confirmata, a Greg. XIII, 1577 inter Ap. Sedi reservatas bullae *In c. D.* inserta est, unde in Const. *A. S.* (I, 7) transiit. Huius rigorem nuperrime Pius X, Mp. *Quantavis diligentia* auxerat. Hodiernus canon valde clarior et accuratior est quam antiqui.

Nullam modernam rem publicam privilegium clericorum agnoscere satis notum est.

75. Violatio privilegii canonis. Alterum hoc privilegium clericorum eos contra *iniurias reales,* quae sane praeter personas etiam ordinis dignitatem et Ecclesiae auctoritatem offendunt, efficacius tueri intendit. Nomen a notissimo canone lateranensi [4] derivat, inde oritur etiam locutio: *violentas manus iniicere. Violentas,* ex ira, odio, vindicta. Qui iocatur, corrigit, suam aliorumve vitam, pudicitiam, bona defendit, qui graviter lacessitus iniuriam (etiam diversi generis) [5] *statim* iniuria rependit delinquere non censetur. *Manus,* quod excludit omnes iniurias verbales. Realis autem est quae laedit corpus, libertatem, dignitatem, immediate et directe vel indirecte et mediate.[6] *In personam clerici*, cuiuscumque qui privilegium non amiserit. Imo vox habet latam significationem et praeter omnes tonsuratos continet etiam cunctos utriusque sexus *reli-*

---

[1] can. 488.

[2] *Rivet*, o. c. 78; *Hinschius*, IV, 794 ss.

[3] *Hinschius*, IV, 849 ss. V, 402 ss.

[4] Lat. II (Innoc. II, 1139) c. 15 = c. 29, C. 17, q. 4.

[5] Classicum exemplum ap. DD. si quis invenerit clericum turpiter agentem cum matre, filia, uxore, sorore.

[6] Vis enucleatiores casus habere? En *D'Annibale*, (Comm. 76), more suo, concinnum: «*corpus*, si clericum veneno sustuleris, vel prosecutus eum fueris, ut in praeceps corrueret, vel ex equo decideret, et corruit, decidit: *libertas*, cum detruditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque: *dignitas*, quoties vis adhibetur, velut si rhedam sistas, qua vehitur, aut equum quo insidet; si aliquid ei detraxeris veluti crumenam, pileum, baculum; vel aliud contumeliosum in ipsum admiseris, ut puta si sputo, pulvere, luto eum foedaveris, si vestes quibus indutus erat conscideris etc.»

giosos, imo et *novitios*[1] et sodales societatum vitae communis.[2] At si quis clericum percutiat existimans eum laicum, aut laicum clericum reputans delicti expers est.

Etiam huius sceleris *quattuor gradus* distinguuntur, prout iniuria irrogatur *a)* Romano Pontifici, *b)* Cardinali vel Legato R. P., *c)* Patriarchae, Archiepiscopo, Episcopo etiam titulari tantum, *d)* alii personae privilegiatae.

Poenae: (can. 2343) ad *a) excommunicatio specialissimo* m. reservata l. s. qua fit ipso facto *vitandus*, *infamia* iuris l. s.; clerico *degradatio* f. s.

ad *b) excommunicatio speciali* m. reservata l. s., *infamia* iuris l. s., *privatio* beneficii, officii, dignitatis, pensionis, muneris f. s.

ad *c) excommunicatio speciali* m. reservata l. s.

ad *d) excommunicatio Ordinario* reservata l. s., poenae *indeterminatae* f. s.

Antiquissimo iure ***iniuria realis*** in clericum gravibus poenitentiis puniebatur, contumaces vero etiam excommunicabantur.[3] Percussio vel occisio episcopi autem, inde a saec. IX, statim excommunicationem secumferebat.[4] Cum autem saec. XII turbae ab haereticis excitatae (Arnaldus Brixien.) saevitias clericorum frequentiores redderent, Innoc. II primum in syn. Claromontano (1130), dein in Remensi (1131), demum in Conc. Lat. II canonem *«si quis suadente diabolo»* promulgavit, quo excomm. l. s. percutientes quemcumque clericum percellebantur. Martinus V declarans vitandos non esse nisi qui publice essent denuntiati, *notorios* clericorum percussores excepit.[5] In Const. *A. S.* duo canones huc veniebant (I, 5; II, 3). DD. communiter docebant per eam inductam esse ***limitationem*** iuris antiquioris, quatenus censuram effugerent *mandantes*, non nominati. Idem affirmant de vigente iure quidam, et ex eadem ratione. At non videtur, quia obstat can. 2209, § 3.[6]

76. Iniuria verbalis. Praecedenti delicto proxime accedit *iniuria verbalis,* ore aut scriptis prolata, sive sit detractio, sive calumnia, sive contumelia. Omnis iniuria verbalis est delictum;[7] hic autem cavetur dumtaxat iis, quae obiective etiam in contemptum *auctoritatis* vergunt, quae diriguntur igitur contra R. Pontificem, Cardinalem, Legatum apo-

---

[1] can. 567 et can. 614.

[2] can. 680.

[3] Syn. Mogunt. 847 (c. 24, C. 17, q. 4); Nicolaus I (c. 23 ead.); syn. Raven. 877 (c. 21, § 3 ead).

[4] Syn. Roman. 862; c. 22, C. 17, q. 4.

[5] Decr. *Ad evitanda*, 1418.

[6] Equidem non intellego quomodo et *Caviglioli* 69 et *Cappello* 59 hoc argumento uti possint; cum satis evidens sit nullimode necesse esse ut C. in quolibet canone mandantes commemoret, postquam eos iam generali lege eamdem imputabilitatem ac auctores habere firmavit.

[7] can. 2355.

stolicum, Congregationes et Tribunalia Curiae Rom. eorumque officiales maiores, Ordinarium proprium; quamvis nihil referat utrum delinquens subiective munus an personam impetere voluerit. Imo etiamsi personae non tangantur satis est ad delictum constituendum contra earum acta, decreta, decisiones, sententias simultates vel odia[1] excitare. In quolibet casu autem mediis aptis ad auctoritatem *coram multis* vulnerandam, nempe, uti C. *taxative* statuit, *publicis* ephemeridibus, concionibus, libellis. Privata colloquia, epistolae, satirae etsi inter amicos et notos aliquatenus divulgentur, dumne publici iuris fiant, huc non veniunt. Neque reus est qui eiusmodi dixit aut scripsit si, praeter eius voluntatem, dein in diarium vel libellum recipiantur; reus, e contra, qui consulto, licet indirecte, agit ut ab aliis actio prohibita committatur.

Delictum iniuriae, pro regula, est actionis privatae; hoc vero, cum boni publici intersit, est *actionis publicae*, ideoque Ordinarius debet ex officio adigere delinquentem, adhibitis quoque censuris, ad satisfactionem praestandam. Insuper

Poenae (can. 2344); *indeterminatae* arbitrio Ordinarii.

In fontibus iuris nostri haud multa de crimine iniuriae continentur. Unde doctrina illud ex iure Rom. subiective et obiective circumscribere debuit.[2] Ex quo iniuria verbalis in clericos *officio* suo fungentes erat *atrox* et gravibus poenis afficienda. Etiam unicum caput Decretalium,[3] quod de maledicto in Romanum Pontificem agit, canonistae dum illud ad episcopos extenderunt ita interpretati sunt ut iniuria *officio et dignitati* non personae illata esse deberet, cum personae secundum praeceptum Christi ignoscere teneantur. Praesertim vero in delictum *libelli famosi* a iure cum canonico tum civili severissime animadversum est, eiusque auctores excommunicatione perculsi.[4]

77. Violatio clausurae. Clausura, quamvis inter obligationes religiosorum recenseatur, relate ad alios tamen iuris et privilegii, quod ad eorum immunitatem *personalem* referri potest, vim habet, eius violatio proinde delictum huc pertinens constituit. Clausura, cui ius sanctione cavet, ea est quae dicitur *papalis*: regularium et monialium, scilicet, qui in ordine votorum *sollemnium* vivunt. Qua afficitur tota domus inhabitata cum hortis et viridariis, excluditur templum cum accessoriis, collocutorium et hospitium advenarum; ceterum a legitimo superiore certis terminis signanda est.[5] Iam vero canones statuunt intra *regularium* septa nullam omnino mulierem, intra *monialium* nec virum nec mulierem

---

[1] Quorum verborum *alterum* iram occultam, *alterum* publice manifestatam indicare videtur.

[2] *Reiffenstuel*, l. V. tit. 36; *Thesaurus*, v. *Libelli famosi*, aliique antiquiores.

[3] c. 1, X. 5, 26.

[4] *Hollweck*, §§ 191-193; *Hinschius*, V, 204, 811 ss. De legibus civilibus v. *Pertile*, V, 623 ss. can. 597, §§ 1-3.

admittendos esse, praeterea *nullam* monialem eis *egredi* posse.[1] Hoc universim; nihilominus exceptiones, aut necessariae aut opportunae, permittuntur. Claustra *monialium* legitime ingrediuntur Ordinarius loci aut superior regularis eorumve delegatus, cum socio vel sociis, visitationis causa; confessarius ad ministranda infirmis sacramenta aut ad assistendum morientibus; cardinales; qui supremum actu tenent populorum principatum cum uxoribus et comitatu; medicus, chirurgus, operarii de licentia antistitae et Ordinarii saltem praesumpta approbatione.[2] Claustra *virorum* uxores eorum qui supremum tenent actu principatum cum comitatu;[3] aliae nonnisi ex peculiari indulto.

Ita canones. Quibus pessumdatis tria oriuntur delicta: *a)* violatio clausurae mulierum, *b)* virorum, *c)* illegitimus egressus monialis.

Primum committunt omnes utriusque sexus illegitime *ingredientes;* alios contra iuris praescripta ab intra vel ab extra *introducentes;* ostiaria vel antistita intrusos non repellentes, *admittentes.* Nec a lege et delicto eximuntur *impuberes*,[4] licet poenam l. s. effugiant, quae tenet tamen eos introducentes vel admittentes si septennium superaverint ideoque doli capaces sint.[5]

Alterum mulieres ingredientes, superiores aliique quicumque feminam *etiam infantem* introducentes vel admittentes.[6]

Tertium monialis, vota sollemnia professa, quae etiam ad breve tempus egrediatur sine indulto S. Sedis, excepto casu imminentis periculi mortis aut alius gravissimi mali, quod periculum si tempus suppetat, ab Ordinario loci *scripto* recognoscendum est.[7] Egressa censetur quae etiam ad momentum toto corpore extra fines clausurae fuit: at non desunt canonistae qui doceant legem admittere parvitatem materiae. Certo ex hoc capite non delinquit ea quae legitime egressa aut sero aut numquam revertitur.

Poenae (can. 2342) ad *a), b)* et *c)*: *excommunicatio simpl.* reserv. l. s.
Praeterea ad *a)* clericis *suspensio* f. s.
ad *b)* religiosis introducentibus vel admittentibus *privatio* officii et vocis activae et passivae.

---

[1] can. 598, § 1; can. 600; can. 601.

[2] can. 600.

[3] can. 598, § 2.

[4] can. 600.

[5] Hoc satis aperte mihi videtur sequi collatis can. 600 et 2204 cum can. 2230. Quare non est quod dubitationibus *Caviglioli* 130 assentiamur.

[6] Quod ius expressis verbis statuit. At fundamentalem regulam iuris poenalis parvipendit *Cappello* 112, qui ex analogia hunc rigorem etiam clausurae monialium applicare vult, quamvis legislator taceat, et quidem ille ipse qui paulo inferius loquitur.

[7] can. 601.

Clausura *monialium* consuetudine introducta est, tamen iam antiquissimae synodi eam commemorant.[1] At demum Bonif. VIII primam legem generalem tulit, qua arctam clausuram, tum quoad egressum tum quoad ingressum, monialibus imponebat.[2] Conc. Trid. excommunic. l. s. addidit. Sed cum multae religiosae mulieres aegre libertatis limitationem ferrent, Episcopi vero in praetextibus admittendis indulgentiores essent, necesse fuit ut R. Pontifices complures bullas publicarent, quibus antiquae sanctiones confirmatae, novae additae sunt, etiam in Praelatos nimis benignos.[3]

Hoc ultimo tempore utebamur iure Const. *A. S.* (II, 6).

Clausuram *virorum* iam Greg. Magnum inculcavisse scimus, tamen legislatio generalis usque ad saec XVI defuit. Pius V denique, const. *Regularium personarum,* 24 oct. 1566, multiplicibus abusibus finem ponere conatus est.[4] Delinquentibus poena excomm. l. s. statuta est, quae etiam in Const. *A. S.* (II, 7) transiit.

c) Contra res ecclesiasticas.

78. Usurpatio bonorum ecclesiasticorum. Post personas res. His quoque Ecclesia ad finem suum indiget, easque proinde defendere debet contra offensores. Bona quibus cavet lex sunt universa prorsus, mobilia et immobilia, corporalia et incorporalia seu iura utilia quaecumque, dummodo *ecclesiastica* sint. Eiusmodi autem non consentur bona cappellaniae laicalis, patrimonium ordinationis, bona piae fundationis aut numquam auctoritate ecclesiastica erectae aut iamdiu eidem subtractae;[5] at profecto bona monasteriorum, ordinum, congregationum, confraternitatum. Praeterea canones *fructus* et *reditus* tuentur, idest quidquid personis physicis vel moralibus in Ecclesia ex eius bonis aut iuribus obvenit.

Iam vero actiones criminosae quae circa haec committi possunt sunt. *a) Usurpare,* quod facit is qui rem a domino occupat quasi ius habens. Unde neque fur, neque qui rem iam usurpatam acquirit, neque commodatarius aut locatarius qui rem restituere moratur, neque qui irrito conatu occupare nisus est usurpator dicitur. *b) Detinere* nempe rem ab alio usurpatam, quocumque titulo acquisitam, uti propriam possidere et domino non restituere. *c)* In *proprios usus convertere,* quod latius patet, cum id etiam alii, qui nec usurpantes nec detinentes apte

---

[1] Carthagin. III (397) c. 33; Agathen. I (506) c. 28; Epaon. (517) c. 38; Aurelianen. V (549) c. 19 etc.

[2] c. un. VI. 3, 16.

[3] cf. *Hollweck,* § 149, qui longam narrationem his verbis concludit: «Tota historia clausurae est argumentum incredibilis indulgentiae episcoporum et vere insignis astutiae monialium subtiliter quaerentium quomodo leges circumvenire possent; laxissima doctrina, pro sua parte, contulit ad omnes nisus Pontificum frustrandos».

[4] *Hollweck,* § 152.

[5] *Pennacchi,* I, 369; *Génicot,* 606; quia cum agatur de sola administratione aut vigilantia Ecclesia praesumitur tacite iuri suo renunciasse. cf. etiam *Caviglioli,* 136.

dicuntur, facere possint.[1] *d*) *Impedire* ius habentes *a fructibus percipiendis*, quod sane fieri potest non solum eos furando,[2] usurpando aut in proprium usum convertendo, sed etiam destruendo vel sequestrando.[3]

Nihil interest utrum haec fiant per se vel per alios, auctoritate publica aut vi privata, iniustis legibus suffulta.[4]

C. distinguit bona ac iura *Ecclesiae Romanae* et bona ac iura, *ecclesiastica* cuiuslibet generis.

1. Quoad illa gravior sanctio est, at in *usurpantes* et *detinentes* dumtaxat. Nulla usucapio eis suffragatur, quia possessor malae fidei non praescribit, attamen Pontifex potest quibusdam renunciare.

2. Quoad altera universim (ideoque etiam Ecclesiae Romanae), levior fertur in *praesumentes*, per se vel per alios, ea in proprios usus convertere *et* usurpare *aut* impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur.

Poenae ad 1 (can. 2345): *a*) *excommunicatio speciali* m. reservata l. s.
b) clericis insuper *privatio* dignitatis, officii, beneficii, pensionis; *inhabilitas* ad eadem f. s.
ad 2 (can. 2346): *a*) *excommunicatio simpl.* reservata l. s.
b) patrono praeterea *privatio* iurispatr. l. s.
c) clerico etiam consentienti tantum *privatio* omnium beneficiorum; *inhabilitas* ad alia; *suspensio* vindicativa *ab ordine* arbitrio Ordinarii f. s.

Canones 2345—2346 cumulant sanctiones Const. *A. S.* I, 11, 12 et Conc. Trid. sess. XXII, c. 2 de r., at terminis paulisper contractis et immutatis. Notandum est praesertim in hodierno textu, ubi de reditibus, «usurpare *aut* impedire» legi, non, ut antea, «usurpare *seu* impedire». Quare, in hac materia quotidiani usus in locis ubi bona ecclesiastica usurpata fuerunt, interpretes iuris anterioris sunt quidem maxima attentione legendi, at *non omnes* eorum sententiae recipiendae. Imo et de responsis S. O. et S. P. idem affirmandum esse arbitramur.

Non incurrere poenas declaravit S. P. 3 ian. 1906 «civitatis *consiliarios eorumque maiorem*, qui bonum quodam certo religiosum, non in proprios sed in

---

[1] *Conductores* fundorum usurpatorum hic subsumi debent. *Gennari*, Consultazioni morali,[3] I (Romae 1913) 48; *Hollweck*, § 156, n. 28. Negabant quidem aliqui (cf. etiam *Caviglioli*, 139), at ita decrevit S. P. 5 aug. 1907 ad 1. Controvertitur an qui fructus venales ab usurpatore *emit*. Sed sententia negans est indubie praevalens. *Gennari*, I, 52 ss. cf. S. P. dec. cit. ad 3.

[2] Iure antiquo *fur* certe huc non veniebat (S. O. 9 mart. 1870 ap. *Pennacchi*, I, 368), at iure novo, cum textus nonnihil immutatus sit, exceptio non videtur sustinenda. Dummodo autem ne agatur de fructibus iam *perceptis*.

[3] At sequestratio redituum clerici, qui debita sua solvere detrectat, innoxia est. *Gennari*, I, 169 s.

[4] Ut ex. gr. patronus qui legi italicae d. d. 15 aug. 1867 innixus, bona beneficii simplicis sibi vindicaret (S. P., 9 mart. 1894 in ME VIII, 31) aut qui bona a gubernio usurpata emit (S. O., 8 iul. 1874, AS IX, 315), cf. *Gennari*, I, 2 ss.

communes urbis usus acquisiverunt»; d. 17 sept. 1906 nec *liquidatores,* nec *scribam* apud Tribunal; d. 8 mart. et 8 maii 1906 incurrere *novos emptores* si postquam civitas bonum certo religiosum in publicos usus emit, istud idem sive totum sive per partes vendibile proponit.[1]

3. *Legatum* aut donationem ad *pias causas,* etiam per fiduciam recepta in propriam utilitatem convertere non esset quidem usurpatio aut detentio, quia bona nondum in possessionem Ecclesiae pervenerunt,[2] at sane delictum constitueret impediendi ne reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur. *Pia causa* autem intelligenda est quae finem aut spiritualem (v. g. missarum celebrationem) aut temporalem pietatis vel caritatis, ope Ecclesiae attingendum, intendit (educationem, pauperum auxilium etc.).[3] Si quis autem commissam sibi obligationem implere tantummodo *negligit* effugit quidem poenas can. 2346, at ab Ordinario etiam *per censuram* f. s. cogi potest et debet (can. 2348),

4. Item negare parocho legitimas *praestationes* aut *iura stolae* vel Ordinario *taxas* actuum iurisdictionis, sive consuetudine sive lege definita,[4] non constituit delictum can. 2346; at ea recusantes puniri possunt arbitrio Ordinarii, donec satisfecerint (can. 2349).

79. Illegitima alienatio bonorum ecclesiasticorum. Res ecclesiasticas alienare nonnisi servatis quibusdam conditionibus fas est. Inter quas praecipua censetur *licentia* legitimi superioris. Canones statuunt hunc esse, si res non ultra mille libellas valet, *loci Ordinarium*, audito administrationis consilio et cum consensu eorum quorum interest; si rei pretium intra mille libellas et triginta millia libellarum continetur, loci Ordinarium cum consensu tum Capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest; si denique res pretiosa est aut cuius valor triginta millia libellarum excedat, *Sedem Apostolicam.*[5] *Pretiosae* autem dicuntur res, quibus *notabilis* valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.[6] Primum et alterum perspicuum est, valor *materiae* vero *et* ex ipsius natura (aurum, argentum, gemma etc.) *et* ex pretio *copulative* exurgere videtur.[7] Praeterea sine beneplacito apostolico nequeunt valide alienari reliquiae et imagines pretiosae, itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi vene-

---

[1] Decisiones datae occasione legis Gallicae. Vide *Micheletti,* Ius Pianum, Augustae Taur. 1914, 338 ss.

[2] *Bucceroni,* 76; *Gennari,* I, 9.

[3] cf. can. 1544, 1513-15, 1489, 1490.

[4] can. 463, et 1507, § 1.

[5] can. 1532. Quoad *bona religiosa* speciales normae in can. 534.

[6] can. 1497, § 2.

[7] At quaestio est *quantum* pretium esse debeat. Hoc C. nullibi dicit. Quod antiquiores auctores docebant non est ad rem, quia aliam legem interpretabantur, eam quippe quae *omnia*

ratione honorantur,[1] necnon, ex nuperrima declaratione, donaria votiva quaecumque.[2]

Alienare est dominium transferre: unde, vendere, donare, permutare, in solutionem dare, in emphiteusim concedere; non item commodare, locare, hypothecae subdere, pecuniam mutuo dare,[3] oblata vel relicta Ecclesiae repudiare, in re dubia transigere.[4] Et quamvis sollemnitates alienationi praescriptae etiam in quolibet contractu, quo conditio Ecclesiae peior fieri possit, sint ex lege[5] adhibendae, non ideo tamen eiusmodi contractus, quoad effectus poenales, alienationi est aequiparandus.[6]

Iam vero ex mala alienatione duplex actio oritur: *civilis* et *poenalis*. Illa eo tendit ut bona Ecclesiae restituantur (actio *realis* contra quemlibet possessorem) ac damna forte illata reparentur (actio *personalis* in alienantem eiusque heredem) atque etiam per censuram urgeri potest;[7] *haec* ut delictum violatae legis puniatur. Quo rei sunt qui alienare *praesumpserint,* et si beneplacitum apostolicum necessarium erat, *etiam scienter* recipientes et consensum praebentes, episcopis *non* seclusis.

Unde, ex obiecto, *triplex* delicti gradus: *a)* si res minoris est quam 1000 libell., *b)* si 30.000 non excedit, *c)* si pluris quam 30.000 est aut pretiosa.

Poenae (can. 2347): ad *a) indeterminatae* arbitrio Ordinarii.

ad *b)* patrono *privatio* iuris patronatus, administratori muneris, superiori vel oeconomo religioso officii et habilitatis ad cetera; Ordinario aliisque clericis, qui officium, beneficium, dignitatem munusve habent, *mulcta* in dupla quantitate damni Ecclesiae vel causae piae illati, in harum favo-

---

immobilia et *mobilia pretiosa* alienari vetabat; novo iure autem *et* immobilia *et* mobilia (non pretiosa), quorum pretium 30.000 libell. non excedit, sine beneplacito Apostolico alienare liceat. Modernus secretarius C. C., in cuius provinciam alienationes veniunt, existimat se multum concedere si admittat rem esse pretiosam dumtaxat si superet pretium *mille* libell. (C. C. 12 iul. 1919, A. XI, 416 ss.). At si initio saec. XVII pretiosa erat res quae veniret 220 lib. hodie sane dixeris requiri saltem 2200. Sed etiam ad alienationem rei huius pretii postulare ut ex universo orbe Romam recurratur, ex illa sola ratione quia obiectum ex auro vel argento est conflatum, seclusa arte vel historia, absurdum est.

[1] can. 1281, § 1.

[2] C. C. 12 iul. 1919. Animadvertendum autem est, si ea quae ratione *cultus* non ratione pretii aut artis, historiae, materiae sine beneplacito apostolico alienari vetantur, nihilominus absque hoc beneplacito alienentur, *non* haberi *delictum*. Hoc de reliquiis, quae pretio aestimabiles non sunt, certum est, at idem quoque de imaginibus et donariis affirmandum mihi videtur.

[3] *Wernz*, III, 154; *Oietti*, Synopsis,[3] Romae 1909, v. *Alienatio; Hollweck*, § 158. n. 8 cf. can. 1531, § 3 et 1543.

[4] Iure antiquo non omnia haec excludebantur, cum amplior esset textus legis.

[5] can. 1533.

[6] Quia in poenalibus stricta uti debemus interpretatione, ac praeterea can. 2347 solos can. 534 et 1532 allegat.

[7] can. 1534.

rem applicanda; ceteris clericis *suspensio* arbitrio Ordinarii; omnes f. s.

ad *c) excommunicatio* non reservata l. s.; poenae *indeterminatae* f. s.

Quamvis iam antiquissimo aevo res ecclesiasticas alienari, nisi ex necessitate, interdictum esset, et inde a saec. V canones hanc regulam confirmantes complures conditi sint, fruebantur tamen Praelati magna libertate et solo consilio vel consensu Capituli, ad bona suarum ecclesiarum distrahenda, indigebant. Sed, cum haud parva damna ex negligentia vel nimia liberalitate Episcoporum derivassent, Paulus II, celebri constit. *Ambitiosae*, 1 mart. 1468, novum ius invexit, quo obligatio impetrandi *beneplacitum apostolicum* in quacumque alienatione rei immobilis (exceptis terrulis) et rei mobilis pretiosae statuta est, interminata in transgressores excommunicationis poena. Quae obligatio a Conc. Trid. (sess. XXV, c. 11 de r.) confirmata, ubique *de iure* vigebat, quamvis *de facto* extra Italiam vix agnosceretur, quia bulla non erat recepta.[1] At saltem postquam const. *Ap. Sedis* (IV, 3) idem ius sanxit, nullum dubium de universali vi legis esse poterat. Canon noster in eo distat a praecedenti quod non amplius ad const. *Ambitiosae* revocat, proinde non ultra quam ipsius textus verba significant est interpretandus.[2]

IV. DELICTA CONTRA VITAM, LIBERTATEM, PROPRIETATEM, BONAM FAMAM AC BONOS MORES.

80. Delicta contra vitam. Tria in iure nostro considerantur: *procuratio abortus, suicidium, duellum.*

1. *Abortus* est eiectio fetus *immaturi,* idest primis 180 diebus a momento conceptionis. Septimo mense incoepto loquimur de accelerato partu, in quo delictum exulat, sicut exulat, quia fetus non eiicitur sed occiditur, in aliis operationibus aliunde illicitis[3] (craniotomia, embryotomia). Si autem fructus in alvo *mortuus* est nec eiectio nec reliquae sane prohibitae sunt; si dubium manet, post factum reo est favendum.

Delinquunt *procurantes,* matre non excepta, actione physica vel morali, sed de se efficaci, et consulto. Non tales sunt qui abortum permittunt, etiam praevidentes ex propria actione illicita indirecte secuturum. At si quomodocumque, nedum praeter sed et contra voluntatem procurantis, causa ab eo posita effectum *non* produxerit, etiam quia alia forte praevenit, aut *an* produxerit merito dubitatur, imputabilitatem effugit. Idem tenendum esse de eo, quem, ante effectum, admissi criminis poenitet, affirmant multi.[4]

---

[1] cf. *Hollweck*, § 158, n. 1.

[2] Secus ac censura *Ap. S.* quae expresse ad illam bullam uti normam provocabat.

[3] cf. S. O. 31 maii 1884 (AS XVII, 556): 19 aug. 1889 (AS XXII, 748): 24 iul. 1895 (AS XXVIII, 384).

[4] Sententia *S. Alphonsi, D'Annibale* (I, 334, n. 33), *Génicot*, I, 572 etc.; quae in can. 2212, § fulcimen habere videtur.

Poenae (can. 2350, § 1): *a) excommunicatio Ordinario* reservata l. s.
b) clerico *depositio* f. s.

Contra *procurantes abortum* nedum Romanas sed et canonicas leges antiquissimas novimus.[1] In iure nostro eiectio fetus animati semper tamquam homicidium considerata est,[2] at olim animam infundi demum post 40um vel 80um a conceptione diem putabant. Exorbitantes poenas in delinquentes statuerat Syxtus V per bullam *Effrenatam,* 29 oct. 1588, qua etiam novam speciem criminosam *prohibitionis prolis* invexerat, at hanc iterum sustulit poenasque mitigavit Greg. XIV const. *Sedes Apostolica,* 31 maii 1591.[3] Moderna censura continetur in bulla *Ap. S.* (III, 2), sed nunc expresse mentio fit *matris,* quam complures ex antiquioribus, quamquam sine canonico fundamento, a poena eximebant. Alia quaestio de *mandante,* quam illi movebant, hodie clare et affirmative solvitur attento can. 2209.[4]

2. *Suicidium,* qua delictum, habetur si quis, sui compos, deliberato animo manus sibi infert, ut se occidat. Alienata mens non praesumitur,[5] sed probanda est, testimonio medicorum aliisve mediis; si tamen sive de statu mentis sive de causa mortis (utrum casu an voluntate) dubium manet, favendum est infelici homini. Certo reus vero si quidem mors secuta sit *sepultura ecclesiastica* est privandus, nisi antequam obierit *aliqua* signa poenitentiae dederit;[6] si superstes fuerit poenis plectendus:

Poenae (can. 2350, § 2): *a) remotio* ab *actibus legitimis;*
b) clerico insuper *suspensio* temporaria arbitrio Ordinarii f. s.; *privatio* beneficii et officii, quibus adnexa sit cura animarum interni vel externi fori.

In eum qui, manus sibi inferens, vitam amiserat iam antiquum ius commune privationem sepulturae ecclesiasticae statuerat. His autem qui mortem effugerant, canonistae, iuri Romano inhaerentes, varias poenas indixerant, praesertim *infamiam,* sive iuris sive facti, eiusque sequelas.[7]

3. *Duellum* est «singulare certamen armis lethalibus ex condicto initum». Itaque hoc nomine intelligimus pugnam qua singuli aut bini aut terni singulos binos ternos aggrediuntur, indicto *loco tempore armis,* et quidem armis morti inferendae natura sua idoneis, non forte pugnis,

---

[1] Conc. Eliber. (300?) c. 63; Conc. Ancyr. (314) c. 21; Con. Trull. (692) c. 91.
[2] *Stephanus* II (885-891) in c. 20, C. 2, q. 5; *Innoc. III* in c. 20, X. 5, 12 (poenae homicidii, irregularitas).
[3] *Hollweck,* § 163.
[4] Mandantes contra apertam dispositionem C. excusat *Cappello,* 133
[5] can. 2200, § 2.
[6] can. 1240, § 1.
Thesaurus v. Manus sibi inferens; *Hollweck,* § 164.

fustibus, ferris acie retusa.[1] Si aut tempus aut locus aut utrumque non est *praevie* statutum atque ita ut aliquod tempus inter conventionem et congressum intercedat, erit potius rixa quam duellum. Imo non desunt qui dicant duellum, sensu poenali, non haberi *tum* si electio armorum fiat demum in loco certaminis *cum* si duo se ad pugnandum certo in loco provocent *statimque* illuc pergant.[2] Sed ad essentiam duelli minime requiritur ut adsint patrini, mittatur libellus, aliaeque sollemnitates adhibeantur quae communiter usu veniunt; neque ut alteruter saucietur aut occidatur.

Huius delicti rei sunt *perpetrantes; provocantes* etiam quin locum tempus arma indicant, dummodo determinatam personam provocent;[3] *acceptantes.* Et utrique quidem, quamvis duellum, ex quacumque causa, locum non habeat. Deinde qui quamlibet *operam* aut *favorem praebent.* Ideoque *et* patrini[4] *et* litteras provocationis vel acceptationis scribentes aut deferentes, *et* consilium efficax dantes,[5] *et* medici aut confessarii qui ex pacto assistunt,[6] *et* locum arma currus suppeditantes, *et* impedimenta removentes etc. Omnes autem effectu secuto. Quibus accensentur etiam de industria *spectantes*, scilicet non casu, vel occulte vel ex mera curiositate, sed aperte et data opera ita ut duellantibus animum addant, saltem sua praesentia. Denique *permittentes* vel quantum in ipsis est *non prohibentes,* cuiuscumque dignitatis sint, quae ultima verba satis indicant agi hic non de privatis sed de iis qui potestate *publica* pollent.

Poenae (can. 2351): *a) excommunicatio simpl.* reservata l. s.

b) duellantibus[7] et patrinis praeterea *infamia iuris* l. s.

Duellum ex moribus populorum Germanicorum originem ducit. Primum ut medium probationis iudicialis, dein qua spectaculum (torneamenta) adhibitum, demum sub fine saec. XIV reparandis iniuriis honori illatis frequentari coepit. Quod praesertim, postquam exercit s stabiles instituti sunt, in tota Europa late invaluit. Sed Ecclesia ut prioribus abusibus obstiterat *(purgatio canonica* contra vulgarem, prohibitio torneamentorum), eo magis hunc interdicere debuit. Conc. Trid. sess. XXV, c. 19 de r. poenam *excommunicationis* in duellantes tulit, quam Greg. XIII (1573) Sedi Ap. reservavit. Celebres sunt autem, prae aliis in hac

---

[1] Tamen C. C. 9 aug. 1890 (AS XXIII, 234) decrevit singulares pugnas, quae committi solent inter studiosos Germanicos, iure pro duellis habendas esse.

[2] Sententiae saltem propter auctoritatem DD. probabiles. *Génicot*, I, 379; *Ballerini-Palm.* II, 923, 925.

[3] *Hollweck*, § 165, n. 3; *Pennacchi*, I, 570.

[4] Animadvertit autem *Génicot*, II, 595 non incurrere poenam patrinos qui officium acceptant ut reconciliationem inducant, duellum impediant aut saltem, ubi sciant adversarios velle usque ad mortem decertare, primo accepto vulnere interrumpant.

[5] Ut puta membra *consilii honoris*, qui pronunciant duellum esse necessarium.

[6] S. O. 28 maii 1884 (AS XVII, 601); non item si *sua sponte* prope accedunt ut vulneratis praesto sint.

[7] Videlicet post factum. Et si moriuntur sine poenitentiae signis privantur *sepultura ecclesiastica* (can. 1240, § 1).

materia, constit. Clem. VIII *Illius vices,* 17 aug. 1592 et Ben. XIV *Detestabilem,* 10 nov. 1752, quibus etiam severissimae poenae vindicativae latae sunt.[1] Bulla *A. S.* (II, 3) censuram confirmavit iisdem verbis ac nunc in C. legitur. Contra duellum leges civiles quoque *scriptae* sunt, quae practice valde negligenter applicantur.[2]

81. Delicta contra libertatem. Duo huc veniunt; *coactio* ad suscipiendum statum clericalem vel religiosum et *raptus.*

1. Coactio contra libertatem eligendi statum perfectiorem exerceri potest tum in *viros* tum in *mulieres.* Delictum est itaque *virum* adigere ad primam tonsuram suscipiendam, non ordines qui sequuntur, atque sive *virum* sive *mulierem* cogere *aut* ad ingrediendum novitiatum cuiuscumque religionis etiam votorum simplicium, *aut* ad emittendam professionem sive sollemnem sive perpetuam sive temporariam. Unde delictum multiplicari quoque potest per successivos actus.

Coactio habetur quotiens voluntati reluctanti metus gravis infertur, quo odiosa deliberatio extorquetur, quoquo tandem modo hoc fiat, sive vi, sive minis, iurgiis, importunis precibus.[3]

Poena (can. 2352): *excommunicatio nemini* reservata l. s.

Est excommunicatio primum a Conc. Trid. sess. XXV, c. 18 de reg. lata in cogentes *mulieres,* nunc ad viros quoque protracta. Sed cessavit, e contra, censura eodem capite statuta in *impedientes* ingressum vel professionem in religione.

2. *Raptus,* qui communiter definitur «violenta abductio mulieris de loco tuto in locum non tutum», latissimo sensu in iure criminali sumitur ita ut complectatur tum raptum *violentiae* tum *seductionis,* quo potius in parentes quam in mulierem, consentientem quidem sed minorem, violentia exercetur, tum raptum *matrimonii* causa tum explendae *libidinis.* Et cum lex non distinguat mulierem quamcumque intelligere debemus, virginem, viduam, honestam, corruptam, liberam vel raptori desponsatam.[4] At *violenta detentio,* quae novo iure est impedimentum, non videtur ad delictum sufficere.

Poenae (can. 2353): *a*) *amotio* ab actibus legitimis l. s.
b) *indeterminatae* arbitrio iudicis.

Raptor puellae honestae iure Romano imperiali poena capitis plectebatur. Antiquissimi canones, in Decreto relati, etiam in foro ecclesiastico severissimas poenas statuunt, quarum praecipuas — excommunicationem, infamiam, inhabili-

[1] cf. *Hollweck,* § 165, n. 1.

[2] CI aa. 237-245; CGa aa. 295 (homicid.) 309 (vulneratio) ex interpret. constanti, CG §§ 201-210; CA §§ 158-165.

[3] Vide quae de impedimento *vis et metus* canonistae in iure matrimoniali tradunt; ex. gr. *Chelodi,* o. c. 118.

[4] De desponsata aliquod dubium antehac esse poterat ex decl. C. P. F. 17 apr. 1784. cf. *Wernz,* IV, 280, n. 32; *Gasparri,* Tractatus de matrimonio,[3] Parisiis 1904, I, 626.

tatem ad quamcumque dignitatem, in clericis depositionem — Conc. Trid. sess. XXIV, c. 6 de ref. matr. confirmavit sed tantum quoad raptum intuitu matrimonii.[1] Hodie quoque crimen est mixti fori. [2]

82. Delicta mixti fori. Complura sunt delicta, quae haud minus societatis religiosae quam civilis ordinem perturbant, quaeque proinde utriusque interest ut coerceantur. Olim revera utraque potestas suas poenas in ea constituerat et, cum essent mixti fori, suo iudicio submittebat, ea tantum regula servata ut ratio haberetur praeventionis. At hodie, mutatis moribus et relationibus inter Ecclesiam et statum, si *laicus* ea admittat potestati civili cura puniendi relinquitur, si *clericus* autem, qui privilegio fori gaudet, Ecclesia adhuc sibi vindicat ius exclusivum in eum animadvertendi. Sed cum de facto clerici quoque poenas saeculares non effugiant, id prae oculis habere debet iudex ecclesiasticus, ne plagam plagae addat plus quam aequum sit.[3] Haec delicta, quae contra *vitam, libertatem, proprietatem* diriguntur, sunt:

1. *Homicidium*, nempe violenta hominis occisio *dolo malo* facta. Excluditur itaque homicidium *culposum*. Nihil e contra interest utrum sit praemeditatum an simplex. *Qualificatum* dicitur si specialis malitia accedat, ut in parricidio, coniugicidio, assassinio.

In primaeva Ecclesia crimen erat capitale; serius communiter percellebatur irregularitate ex delicto, infamia, poenis arbitrariis, in clericis degradatione. Praesertim *assassinium*, quod est homicidium proditorium per sicarium perpetratum, durissime puniebatur et excommunicationem l. s. ac bannum a christianitate secumferebat.[4] Hodie adhuc manet *irregularitas* et *amissio* iuris *patronatus*.[5]

2. *Raptus impuberum alterutrius sexus*, qui a raptu can. 2353 differt quia alio fine quam matrimonii aut libidinis explendae causa fit, antiquo iure canonico, inde a saec. IV, qua *furtum* valde grave variis poenis plectebatur,[6] moderno iure saeculari speciale delictum constituit.[7]

3. *Venditio hominis* in servitutem vel alium malum finem (plagium). In hoc delictum efficaciter animadvertens [8] Ecclesia superioribus saeculis optime merita est de humana libertate. Complures bullae pontificiae [9] in servitutem re-

---

[1] *Hinschius*, V, 175, 823 ss.; *Wernz*, IV, 278. — De raptu, qua impedimento matrimonii, v. can. 1074 illosque qui de novo iure matrimoniali scripserunt, ex. gr. *Chelodi*, o. c. 89 ss.

[2] CI aa. 340—344 et aa. 349—352; CGa aa. 334, 355—357; CG §§ 236—238; CA §§ 96—97.

[3] can. 2223, § 3, 2.°

[4] *Thesaurus*, vv. *Assassinium* et *Homicidium*; *Wernz*, VI, 363 ss.; *Hollweck*, § 162.

[5] can. 985 et 1470. Ius saeculare in CI aa. 364—371, 376—379; CGa aa. 295—304; CG §§ 211-212, 214—215; CA §§ 134—139.

[6] c. 3, X. 5, 17; *Reiffenstuel*, l. V, tit. 17, n. 58; *Wernz*, VI, 404, 406.

[7] «Sottrazione di minorenne» CI a. 148; CGa a. 354; CG § 235; CA § 90.

[8] c. 1, X. 5, 18: «Qui furatur hominem et vendiderit *morte moriatur*», sane ope brachii saecularis.

[9] Quas recenset *Hinschius*, V, 807 s. Hodie profecto sunt antiquatae, at Ecclesia non desinit servitutem impugnare (Societates servituti tollendae).

digentes aut vendentes homines (christianos orientales, Indos, Nigritas etc.) excommunicatione l. s. percellebant.[1]

4. *Usura*, nempe crimen accipiendi lucrum *ex sola vi mutui*, olim multis prohibitionibus canonicis locum dedit;[2] hodie profecto lucrum *legale* pro regula accipere licet; *maius* si iustus titulus suffragetur.[3] Modernae leges, dum in aestimanda usura ex mutuo laxiores sunt, alia immodica lucra interdum usuraria declarant et poenis afficiunt.[4]

5. *Rapina*, idest ablatio rei alienae mobilis per vim facta; *furtum qualificatum*, quod aliae modernae leges aliter determinant, *furtum simplex* in re valde *notabili*. Haec quoque delicta in antiquo iure nostro considerabantur et in Decretabilus suum titulum habebant.[5] Hodie ad ea propius determinanda attendendi sunt codices singularum civitatum.[6]

6. *Incendium* vel malitiosa et valde notabilis *rerum destructio*. Primum est crimen in Decretalibus[7] damnatum infamia et, non refecto damno, etiam excommunicatione ac privatione ecclesiasticae sepulturae; alterum, quatenus res privatas respicit, est species damni illati.[8]

7. *Gravis mutilatio*, *vulneratio*, *violentia*. Quae iure Decretalium non erant delicta specifica, sed, ut iam in iure Romano, in generica notione iniuriae realis continebantur.[9] Damnatus in foro saeculari infamis habebatur, mutilans se aliosve etiam irregularis.[10]

a) Si *laicus* igitur eiusmodi delictum committit et a iudice saeculari, secundum leges materiales et formales *iuste* damnatur, Ecclesia sententiam simpliciter agnoscit et, in suo foro, addit *exclusionem* ab *actibus legitimis* et *privationem* cuiusque muneris ipso facto incurrendas (can. 2354, § 1).

b) Si vero *clericus* reus est, tribunal ecclesiasticum contra eum procedit. Poenas, in singulari casu, iudex pro gravitate delicti inter sequentes eligens, determinat.

Poenae (can. 2354, § 2): poenitentiae, consurae, privatio officii et beneficii, dignitatis, depositio.

Clericus reus homicidii culpabilis est *degradandus*.

---

[1] cf. CI a. 145; CG § 234; CA §§ 95, 213.

[2] Vide ex. gr. *Wernz*, VI, 411; *Pertile*, IV, 589 ss.; *Funk*, Geschichte des kirchlichen Zinsverbotes, Tübingen 1876, vel sis *Chelodi*, Le proibizioni dell'usura in *Riv. Trident.* XIV (1914) 89 ss.

[3] can. 1543. Implexa et vexatissima quaestio de intrinseca natura mutui et de titulis fructum accipiendi moralistis remittitur.

[4] CI nihil; CGa l. 19 dec. 1850; CG §§ 302 a-e, 360, 12; CA ll. 28 maii 1881 et 4. ian. 1903.

[5] Decret. l. V, tit. 17 de *raptoribus*; tit. 18 de *furtis*. Ideoque etiam omnes antiqui canonistae de iis late agunt, ex. gr. *Schmalzgrueber*, *Reiffenstuel*, *Thesaurus*. cf. etiam *Wernz*, VI, 398 ss.

[6] CI aa. 406, 408, 402-405; GGa aa. 381-386; CC §§ 242-243, 249; CA §§ 171-180, 190-95.

[7] tit. De *raptoribus*, *incendiariis* et *violatoribus ecclesiarum*. V, 18. *Hollweck*, § 189; *Thesaurus* v. Incendiarii; *Reiffenstuel* h. t. etc.

[8] tit. De iniuriis et *damno dato*, V, 36. *Hollweck*, § 190. In foro saeculari CI aa. 300-330, 424-425; CGa aa. 434-435, 437; CG §§ 303, 306-311; CA §§ 85, 166-167, 169-170.

[9] *Hollweck*, §§ 166, 167; cf. can. 1470.

[10] CI aa. 154, 372-375; CGa aa. 309-311; CG §§ 223-229, 234; CA §§ 152-157, 76-100 125-127.

83. Iniuria verbalis. Est delictum contra honorem et bonam famam, quod *contumeliam* in praesentem, *detractionem* idest revelationem qualitatis vel facti ignominiosi veri sed occulti, et *calumniam* nempe appositionem ignominiae falsae, in absentem complectitur. Verbis, scriptis, imaginibus, actionibus irrogari potest, tum personae physicae tum iuridicae, tam vivis quam mortuis. Causas, quas ex iure naturali theologi morales afferunt, permittentes revelationem veritatis occultae,[1] sane etiam in aestimando elemento *obiectivo* delicti sunt attendendae, nec minus quoad *subiectivum* defectus doli perfecti. At *probatio veritatis,* etiamsi detractori feliciter succedat, non est causa eximens ab imputabilitate. Praeterea criminaliter mutua iniuria compensatur, nisi altera alteram multo excedat.[2]

In causa iniuriarum vel diffamationis, sive ex officio sive ex querela partis laesae instituatur,[3] sub duplici ratione poenis locus est: *a*) ad *cogendum* reum ut palinodiam cantet et damna reparet, si id tantum actione civili postuletur, et ipse renuat; *b*) ad eum delicti admissi nihilominus *puniendum,* actione criminali, praesertim quando ex officio proceditur et reus clericus est.

Poenae (can. 2355): ad *a*) *censurae.*
ad *b*) *indeterminatae,* non exclusa *suspensione* aut *remotione* ab officio et beneficio.

Iniuria verbalis in auctoritates est speciale delictum, de quo supra (n. 76) iam actum est.

84. Delicta contra bonos mores. Ex his ea tantum in foro puniuntur, quae aut ob scandalum aut ob peculiaria adiuncta *qualificata* sunt et in qualibet ordinata societate impunita manere non debent. Re vera pleraque sanctionibus codicum fere omnium rerum publicarum subsunt et Ecclesia, nisi delinquentes sint clerici, ea punienda relinquit, pro regula, auctoritati saeculari, cuius sententiae rationem habet quoad effectus poenales canonicos. Ideo etiam in determinando elemento obiectivo et subiectivo leges cuiusque nationis erunt attendendae.[4] Huc veniunt:

1. *Bigamia,* si extante valido matrimonio religioso, alterum etiam civile tantum attentatur. Falsa existimatio circa valorem primi coniugii, eiusdemve solutionem, aut bona fides in alterutra parte, uti patet, hanc excusat, quia dolus requiritur; at re cognita utrique delictum im-

---

[1] Necessitas, utilitas revelantis, tertii, boni publici etc. *Génicot,* I, 422; *Noldin,* II, 639.
[2] can. 2218, § 3.
[3] can. 1938.
[4] Quae tamen non ubique eaedem, imo satis variae sunt.

putatur, etiam non coniugatae.[1] In hoc delicto statuendo ius nostrum nequit congruere cum iure laicali, quod civile non religiosum matrimonium agnoscit.[2]

Poenae (can. 2356): *a) infamia iuris* l. s.
b) post Ordinarii inutilem monitionem, *excommunicatio* vel *interdictum* personale f. s.

Bigamia est delictum tam certum, admissa unitate et indissolubilitate matrimonii, ut in iure poenali canonico, quamvis procul dubio poenis adulterii, iam a prioribus saeculis, punita fuerit, haud multae sanctiones contra eam inveniantur. Tum Decretum tum Decretales eam fere exclusive sub respectu irregularitatis considerant.[3] Poenae iuris communis antehac erant: infamia, excommunicatio f. s., suspicio de haeresi.

2. *Delictum carnale* cum *minoribus* infra aetatem sexdecim annorum,[4] sive copula intercedat sive non; *stuprum,* quod sensu moderno intelligendum videtur,[5] nempe coniunctio carnalis cum muliere vi aut metu coacta, aut ex impedimento aliquo resistendi impotenti;[6] *sodomia* idest actus libidinosus inter personas eiusdem sexus;[7] *incestus* qui, secundum leges civiles, habetur in commercio carnali inter ascendentes et descendentes sive consanguineos sive affines *ac* inter fratrem et sororem;[8] *lenocinium* quo quis seducitur ut libidini alterius praesto sit.[9]

Laico, qui cuiusvis praedictorum delictorum convictus in foro saeculari legitime damnatur, iure canonico infliguntur praeterea sequentes:

Poenae (can. 2357, § 1): *a) infamia iuris* l. s.
b) poenae *indeterminatae* arbitrio Ordinarii f. s.

3. *Publicum adulterium* vel *publicus concubinatus.* Requiri videtur saltem talis notorietas ut scandalum oriatur. Laici qui ita se gerunt, etiamsi lege civili forte impune,[10] sunt profecto coram Ecclesia

---

[1] cf. quae traduntur in iure matrimoniali, ad impedimentum *ligaminis. Chelodi,* o. c. 76 ss.

[2] Bigamia in CI a. 359; CGa a. 340; CG § 171; CA §§ 206, 207.

[3] *Hinschius,* V, 170, 814; *Wernz,* IV, 363; V, 392; *Hollweck,* § 178.

[4] «Corruzione di minorenne» uti dicunt. Aetas non ubique eadem statuitur: CI aa. 334—335 (16 a.); CGa a. 331 (13 a.); CG §§ 182, 176 (16 a. si copula, 14 si alius actus libidinis intervenit); CA § 128 (14 a.)

[5] Canonistae latiorem notionem habebant; hoc est illis stuprum *qualificatum.* cf; *Wernz,* VI, 387.

[6] CI aa. 331-332 (etiam cum viro); CGa a. 332; CG 176-179; CA §§ 125-127.

[7] Canonistae recensent praeterea sodomiam *imperfectam* (ratione vasis) et *bestialitatem.* In CI et CGa sodomia non est crimen specificum; at utique in CG § 175 et CA § 129.

[8] Iure canonico est *incestus* quotiescumque matrimonium ob consanguinitatem aut affinitatem esset invalidum. CI a. 337 (si adest publicum scandalum); CGa nihil; CG § 173. CA §§ 131 et 510.

[9] CI aa. 345 ss.; CGa aa. 334-335; CG §§ 180-181; CA § 182. Ad delictum constituendum alius codex aliud requirit: consuetudinem, lucrum, abusum auctoritatis.

[10] *Concubinatus* iure saeculari non est delictum; *adulterio* cavetur quidem CI aa. 353-358; CGa aa. 336-339; CG § 172; CA § 502, at quomodo hae leges, praesertim si maritus reus est, applicantur?

publici peccatores; hi et qui ob minora delicta venerea, alia ac supra recensita, legitime damnati fuerint, excludendi sunt ab actibus legitimis donec signa verae resipiscentiae dederint (can. 2357, § 2).

Omnia *delicta carnis* in primaeva Ecclesia generali nomine *adulterii* veniebant, quod e tribus capitalibus erat, exclusione a communione usque ad mortem vel in morte quoque, praesertim in recidivo, punitum. Mitigata disciplina gravissimae saltem poenitentiae impositae sunt. Serius singula delicta distincta sunt et in unumquodque etiam suae poenae statutae. Sed cum antiquiores leges civiles, sive Romanae sive medioaevales, contra eadem crimina durissimae essent, non erat plerumque ratio cur in *laicos* delinquentes iudex ecclesiasticus animadverteret, ideoque regulariter in foro canonico sola *infamia* vel si contumaces etiam *excommunicatio* eos tenebat. Clerici vero excommunicatione, suspensione, privatione beneficiorum, depositione, imo degradatione (ob simoniam) plectebantur.[1]

85. Clerici delictorum venereorum rei maiore rigore puniendi sunt, cum speciali obligatione teneantur castitatem servare; praeterea ipsi iuridice subsunt exclusivae competentiae fori canonici et in hoc sunt iudicandi. Quocirca in C. peculiares dispositiones quoad eos statuuntur, et quidem ita ut aliae clericos in maioribus aliae clericos minores respiciant.

a) Minores, quibus nondum imposita est lex coelibatus et qui etiam aliunde laicis viciniores sunt, medium locum inter hos et clericos in sacris tenent. Tamen *cuiuscumque* delicti carnalis rei convincantur castigandi sunt poenis *arbitrariis,* et si agatur de *gravioribus* delictis supra recensitis (n. 84, 2—3) poenis insuper quae laicis inferuntur; denique nisi spes perfectae emendationis affulgeat, dimittendi sunt e statu clericali (can. 2358).

b) Clerici *maiores,* sive saeculares sive regulares, utrum *qualificatum* delictum venereum aut *simplex* admiserint distinguendum est. *Qualificata* sunt: actus libidinosus cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum, adulterium, stuprum, bestialitas, sodomia, lenocinium, incestus cum consanguineis aut affinibus in primo gradu;[2] *simplicia* fornicatio et quaecumque alia peccata contra sextum externa, in suo genere consummata, in foro externo probata.

Poenae (can. 2359, §§ 2, 3): 1. Delicti *qualificati:* suspensio, infamia iuris, privatio officii, beneficii, dignitatis, muneris, in casibus gravioribus depositio; omnes f. s.

2. Delicti *simplicis:* indeterminatae, at non exclusa officii et beneficii privatione, maxime si curam animarum gerant.

---

[1] cf. *Hollweck,* §§ 174-184.
[2] cf. n. 84, 2, 3.

86. Concubinatus clericorum in sacris peculiarem tractationem meretur. Sensu proprio concubinatus est *consuetudo* commercii carnalis soluti cum soluta, quae domi aut extra domum loco uxoris detinetur. Ad eius essentiam pertinet igitur imprimis *habitudo* et *repetitio* actuum. At, si agitur de clericis, iure poenali nostro delictum latius patet quam communis definitio. Nedum coniunctionem cum copulata quoque continet, sed etiam concubinatum praesumptum, qui in sola illicita *familiaritate* et conversatione consistit. Canones enim statuunt nefas esse clerico mulierem *suspectam* secum habere aut frequentare.[1] Quaenam suspecta sit, in quo frequentatio illicita habeatur, Ordinarii est iudicare. Qui, ante omnia, debet clericum *monere,* cum *praecepto* eam dimittendi vel non frequentandi et comminatis poenis iuris.[2] Monitus habet ius sese defendendi; si nullum aut amovibile obtinet beneficium *semel,* si inamovibile *iterum.* Eius deductiones perpendendae sunt ab Ordinario et duobus examinatoribus.[3] Qui a prima monitione recursum non interponit, *aut* alterae vel tertiae quae, si illegitimae inveniantur eius causae excusationis, ei sunt intimandae, non pareat, concubinarius *praesumitur.*[4] Delictum praesumptum aequiparatur delicto probato.

Poenae (can. 2177 et 2359, § 1): *a) suspensio* a divinis,

b) parocho *privatio* parociae, statim decernenda,

c) clerico aliud beneficium sine cura animarum obtinenti, post bimestre a suspensione, *privatio* dimidiae partis fructuum; post alios tres menses *privatio* omnium; post alios tres *privatio beneficii.*

Legislatio canonica contra clericos concubinarios, quae amplissima est, iam inde ab ineunte saec. IV (Conc. Illiber. c. 19: conc. Neocaes. c. 1.; Conc. Nicenum etc.) incipit. Praesertim vero saeculis XI et XII contra abusus late grassantes complures severissimae leges latae sunt, inter quas depositio et prohibitio fidelibus facta communicandi cum concubinariis (Leo IX. in syn. Rom. 1050).[5] Etiam *mulieres* complices durissime plectebantur (excommunicatione, servitute). Hodiernum ius derivat a statutis Conc. Trid. sess. XXV, c. 14 de ref., quod totam hanc materiam denuo ordinavit.

---

[1] can. 133.

[2] can. 2176.

[3] Qui suffragium consultivum tantum habent. Totus ordo procendendi est administrativus, non iudicialis. can. 2178-2181.

[4] can. 133, § 4.

[5] cf. *Wernz* II, 208 ss.; *Hollweck,* § 231; *Hinschius,* V, 172 s.

V. CRIMEN FALSI.

87. Falsum in actis ecclesiasticis. Crimen falsi, quo fides publica bono communi in qualibet societate omnino necessaria violatur, est *veritatis immutatio vel suppressio in fraudem alterius facta.* Tria igitur ad eius esse requiruntur: perversio veritatis, dolus, damnum sive reale sive saltem possibile.[1] In iure saeculari multae species facti huius delicti recensentur.[2] Qua in re praeierat ius Romanum, ex quo etiam in fontes iuris nostri antiquioris, imo et recentioris,[3] complures derivaverant: falsum nummarium, falsum in ponderibus et mensuris, venditio mercium adulteratarum, dolosa remotio terminorum, suppositio partus, necnon omnia crimina falsae accusationis, falsi testimonii, praevaricationis in iudicio. At hodie in C. haec provincia valde limitata est, et, praeter delicta falsi in iudicio a partibus, testibus aut peritis commissa vel collusionis advocatorum et procuratorum,[4] quae a iudice causae punienda sunt,[5] quattuor tantum casus considerantur.

1. *Fabricatores* vel *falsarii* litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem *scienter utentes.* Fabricatur ille qui documentum numquam legitime editum prorsus effingit, falsat qui in documento authentico aliquid *substantiale* addit, demit, mutat. Dolus in animo decipiendi consistit, sive in proprium commodum sive in alterius praeiudicium.[6] Unde si ioci aut stultae ostentationis causa quis ficticiam scripturam exararet aut veram corrumperet poenam effugeret. Acta autem quae canon tuetur sunt omnino *universa* quae a Sede Apostolica eiusque organis procedunt. Delictum perfectum est etiamsi finis decipiendi non attingatur, falsitate tempestive detecta.

Poenae (can. 2360): *a) excommunicatio speciali* modo reservata l. s.

b) clericis aliae poenae *arbitrariae* usque ad *privationem* officii, beneficii, dignitatis, muneris, f. s.

c) religiosis *privatio* officiorum, vocis activae et passivae, praeter poenas suarum constitutionum.

In antiquis fontibus canonicis extabant quidem sanctiones contra falsarios in genere, at cum parum efficaces essent ad cohibendas falsificationes litterarum apostolicarum latissime in medio aevo diffusas, primus Innoc. III (1198 et 1201)

---

[1] *Reiffenstuel,* l. V, tit. 20, n. 1.; *D'Annibale,* Comm. 59.

[2] CI aa. 214-224, 256-297; CGa aa. 132-165, 361-366; CG §§ 164-165, 263-280; CA §§ 38, 105-121, 199, 201, 320, 325.

[3] cf. *Hollweck,* §§ 198, 201, 202, 204.

[4] can. 1743, 1766, 1794, 1666.

[5] Remotione ab actibus legitimis, interdicto personali, suspensione; can. 1743, § 3.

[6] Hoc secundum *falsi* definitionem; at, si attendantur generalia verba canonis, forte etiam si nullum cuiquam damnum obveniat. Tamen sententia supra exposita proponitur etiam ab interpretibus bullae A, S.

magno vigore, interminata excommunicatione et clericis insuper depositione et degradatione, in eos qui scripturas pontificias confixissent, vel falsas cognitas non destruxissent aut eis usi essent animadvertit.[1] Greg. XI bullae *in Coena* similem sanctionem inseruit, quae demum definitivam formam ab Alex. VII (1656) accepit et inde in bullam *Ap. S.* (I, 9) transiit.[2] Noster canon ex ista ac ex censura Ordinariis reservata (III, 3) in utentes lata exurgit, protractis potius quam contractis terminis.

2. Rei *subreptionis* vel *obreptionis* in precibus ad rescriptum a *Sede Apostolica* vel a loci *Ordinario* impetrandum. Si reticentia veri respicit ea quae de stilo Curiae sunt ad validitatem exprimenda, vel expositio falsi versatur circa unicam causam motivam, rescriptum est etiam invalidum, nisi motu proprio datum sit aut dispensationem a minore impedimento matrimoniali contineat.[3] Idque semper, quamvis *bona fides* petentis intercesserit; e contra si ipse *fraude* vel *dolo* egerit delicti irreverentiae in auctoritatem et falsi habendus est reus, etiamsi alia, intentione decipiendi, vera tacuerit, non vera affirmaverit.

Poena (can. 2361): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

3. *Fabricatores, falsarii* litterarum vel actorum ecclesiasticorum tam publicorum quam privatorum, eisque *scienter utentes. Publica* cuiuscumque *auctoritatis* Sede Apostolica inferioris (acta episcopalia, paroecialia, libri baptismorum, matrimoniorum, ex iis excerpta, tabulae fundationum etc.); *privatae,* uti videtur, intelligendae sunt scripturae cuiusvis (ex. gr. testamentum, instrumentum debiti, etc.) quae et quatenus Ecclesiae intersunt.

Poenae (can. 2362): *indeterminatae.*[4]

88. Falsa accusatio. Non quaevis, sed certi criminis, nempe sollicitationis ad turpia in confessione.[5] Eiusmodi calumnia gravissima est, quia atroces sequelas innoxio sacerdoti afferre potest. Ad delictum constituendum requiritur imprimis *dolus,* unde excusatur qui sive ex ignorantia sive ex errore sollicitationem apprehenderit ubi nulla erat. Dein accusatio *iuridica,* qualem, ex legibus ecclesiasticis, fideles in casu facere tenentur, apud Ordinarium (non Vicarium generalem sine mandato speciali)[6] aut S. O., personaliter vel scriptura subsignata. Cum anonymae denunciationis nulla ratio habeatur, eiusmodi nec ad incurrendam poenam sufficeret. At nihil refert utrum quis falso denunciet se aut alium fuisse

---

[1] *Hinschius,* V, 199 s.
[2] *Hinschius,* V, 844; *Hollweck,* §§ 199-200.
[3] can. 42, 45, 1054.
[4] cf. can. 2406, § 1; infra n. 109.
[5] cf. can. 2368, infra n. 91.
[6] can. 2220, § 2.

sollicitatum, utrum calumniam ipse inferat aut alium ad inferendam inducat, dummodo in hoc casu suasio vel mandatum efficax sit. Ideo reus est etiam qui falsum rumorem spargit, praevidens et intendens ut ab aliquo ad superiorem deferatur. Item nihil interest utrum iudex in confessarium procedat necne.

Poena (can. 2363): *excommunicatio speciali* modo reservata l. s. Absolutio non est impertienda, ne in casibus urgentioribus aut in articulo mortis quidem, nisi calumnia formaliter retractata, damnis resartis, imposita gravi et diuturna poenitentia.[1]

Delictum primo a Ben. XIV, Const. *Sacramentum poenitentiae,* 1 iun. 1741, est circumscriptum; poena excommunicationis nova est; hucusque *peccatum* erat ratione sui specialissimo modo reservatum; nunc quoque est reservatum (can. 894): quomodo disputant auctores, sed, uti videtur, otiose quia a Pontifice tandem pendet utrum et cui velit facultatem absolvendi delegare. Reservatio, ex communi sententia, est poenalis.

VI. DELICTA IN ADMINISTRATIONE ET SUSCEPTIONE SACRAMENTORUM

89. Illegitima administratio. «Cum omnia sacramenta novae legis, a Christo Domino instituta, sint praecipua sanctificationis et salutis media, summa in iis opportune riteque administrandis ac suscipiendis diligentia et reverentia adhibenda est».[2] Quae lex etiam poenali sanctione in foro externo munitur. Huc veniunt primum *tria* delicta: administrare incapacibus aut indignis, confirmare sine facultate, confessionem audire aut absolvere sine iurisdictione. Igitur reus est:

1. Minister qui *ausus fuerit* sacramenta administrare illis qui iure sive divino sive ecclesiastico eadem recipere prohibentur. Prohibitio adest sive quis *invalide* sive *illicite* recepturus sit. *Invalide* suscipiunt *reliqua sacramenta* qui baptismum nondum habent;[3] reliqua *et baptismum* quoque illi quibus deest positiva intentio saltem habitualis (exceptis infantibus quoad baptismum, confirmationem, eucharistiam, ordinem); *tria sacramenta* quae characterem imprimunt illi quibus denuo conferuntur.[4] *Illicite* ministrantur omnibus indignis, qui, pro diversa natura singulorum sacramentorum, aut attritione aut gratia carent, de quo tamen in foro externo constare debet; praeterea haereticis, schismaticis etiam bona fide errantibus,[5] excommunicatis, interdictis; *baptismus,* citra periculum mortis,

---

[1] *Gravis,* quae pro gravissimo peccato in foro interno esset imponenda; *diuturna,* saltem ad sex menses.

[2] can. 731, § 1.

[3] can. 737, § 1.

[4] can. 732, § 1.

[5] can. 731, § 2.

natis infidelium, haereticorum, schismaticorum, invitis parentibus, *item* illis qui post adeptum usum rationis in amentiam inciderunt, nisi morientibus si antequam insanirent suscipiendi baptismum desiderium ostenderint;[1] *ordo* irregularibus et impeditis. Ab imputabilitate eximunt ignorantia et metus.

Poena (can. 2364): *suspensio* ab administrandis sacramentis, arbitrio Ordinarii, f. s.

Hucusque in ministrantes sacramenta haereticis aut apostatis *notoriis* statuta erat *depositio.*[2]

2. Presbyter qui sine facultate confirmationem ministrare *aut* facultatis limites praetergredi *ausus fuerit.* Facultas, sine qua sacerdos invalide agit, datur vel ab iure vel a Romano Pontifice, et, pro regula limitatur quoad locum, tempus, personas.[3] Poenaliter nihil interest utrum restrictio valorem an liceitatem actus afficiat, essentiale est autem in quolibet casu ut nulla causa imputabilitatem minuens intercesserit.

Poenae (can. 2365): *a)* in eum qui facultatem usurpat, *suspensio generalis,* f. s.
b) in eum qui abutitur, *privatio* facultatis, l. s.

3. *Sacerdos*[4] qui sine necessaria iurisdictione *praesumpserit* sacramentales confessiones audire *aut* a peccatis reservatis absolvere. *a)* Ad primam speciem constituendam non est necesse absolvere, sed satis est *audire,* dummodo poenitens peccata sua exponat in ordinem ad absolutionem obtinendam. Iurisdictione *positive dubia* uti non est praesumptio, ideoque nec delictum at non idem dicendum si iurisdictio certo deest, licet cum errore communi, quia Ecclesia eam *supplet* in commodum fidelium, non *concedit* in favorem sacerdotis. *b)* Ad alteram speciem requiritur *absolutio* a *peccatis* reservatis iure communi aut dioecesano, sive ratione sui sive ratione censurae. Quodsi censura est specialissimo aut speciali modo reservata, habetur concursus delictorum.[5] Hoc quoque delictum postulat praesumptionem.

Poenae (can. 2366): ad *a) suspensio a divinis,* l. s.
ad *b) suspensio ab audiendis confessionibus,* l. s.

90. Absolutio complicis. Complex, in hac specie, dicitur qui cum sacerdote, ante vel post eius ordinationem, contra sextum peccavit,

---

[1] can. 750, 751, 754.
[2] *Hollweck,* § 281.
[3] can. 782.
[4] Quoad *non sacerdotem* v. can. 2322, supra n. 62, 2.
[5] can. 2338, § 1.

agens vel patiens, culpa *certa,* nedum interne sed et externe *utrinque gravi, manifestata.* Utrum mas an femina sit non interest. Delictum committit primo qui *absolvit,* aut potius absolvere attentat cum invalide agat,[1] complicem qui turpe peccatum ut materiam necessariam confitetur. Excusat tamen inadvertentia, ignorantia *non* crassa, dubium personae, necessitas se non prodendi si cum peccavit qua sacerdos agnitus non est. Etiam in mortis articulo (cui par est periculum) absolvere nefas est, nisi *aut* alius desit sacerdos etiam non approbatus (non autem excommunicatus vel suspensus), *aut* advocari nequeat sine scandalo vel infamia sive moribundi sive sacerdotis, *aut* demum incoepta confessione alius superveniat, *aut* poenitens recuset alii confiteri. Probabilis sententia a poena eximit etiam absolventem in casu *urgentissimae* necessitatis.[2] Deinde qui *absolvere fingit,* sive formulam omittens, sive contraria intentione pronuncians, sive verba pervertens aut alia proferens. Denique qui absolvit aut fingit absolvere *complicem* peccatum *tacentem,* non sua sponte etiamsi id sacerdos advertat, sed ab ipso confessario *directe,* iussu consilio suasione, vel *indirecte,* docendo peccatum non esse accusandum quia iam sibi cognitum aut non esse grave, inductum.

Poena (can. 2367): *excommunicatio specialissimo* modo reservata l. s.

Dum usque ad medium saec. XVII omnes theologi docebant absolutionem complicis, supposita recta dispositione, et validam et licitam esse, Ben. XIV const. *Sacramentum poenitentiae,* 1 iun. 1741,[3] cui duas alias (*Apostolici muneris* 1745 et *Inter praeteritos* 1749) subnexuit, iurisdictionem confessarii sustulit et speciem huius delicti efformavit. Quae a Pio IX in bullam *Ap. Sedis* (I, 10) recepta est. Canon C. rationem habet etiam subsequentium declarationum S. P. et S. O.

91. Sollicitatio ad turpia. Alterius huius delicti cum confessione connexi species in C. non circumscribitur, sed ex constitutione benedictina[4] desumenda est. — 1. Illud committit sacerdos quilibet, saecularis vel regularis, qui ad turpia, idest ad quodcumque grave peccatum impudicitiae, animum poenitentis masculi aut feminae movere nititur, verbis scriptis factis, *aut* cum eodem illicitos sermones vel tractatus malitiose habet, si id fiat *in actu* confessionis vel, nullo interposito negotio aut intervallo, immediate *ante* vel *post* confessionem, vel eiusdem

[1] can. 884.

[2] DD. duos casus proponunt: complicis qui in impossibilitate sit constitutus adeundi alium confessarium et *aut* semper a sacramentis abstinere cogatur *aut* praeceptum paschale non adimplere. cf. *Ballerini-Palmieri,* V, 424 s.; *Noldin,* 63, 4; *Génicot,* II, 354 aliosque.

[3] In appendice C. doc. V.

[4] *Sacramentum poenitentiae;* cf. can. 904. Ratio quoque habenda est posteriorum declarationum S. O.

occasione cum poenitens eo fine accessit, vel *praetextu* cum confessarius eam ad sollicitandum praetendit, vel denique cum *simulatione* confessionis in uno e tribus locis a lege indicatis: in sede confessionali, in loco ad confessiones audiendas destinato, in loco ad id hic et nunc electo.

Verba et facta per se ambigua, utrum ex prava intentione processerint ideoque dolosa sint, ex subsequentibus est arguendum. *Conatus* in hac re delicto aequiparatur.[1]

2. Sollicitatio *certa* et *gravis* tum a sollicitato tum ab aliis qui eam *certo* cognoverint[2] est denuncianda. At solus *poenitens* qui *scienter* eam omittit reus fit delicti canonici. Denunciatio facienda est, intra mensem et iuridica, Episcopo vel S. O., et quidem etiamsi crimen ante longum tempus admissum fuerit, aut omnino occultum manserit, aut confessarius iam emendatus sit, aut forte sollicitationi a poenitente factae solummodo consenserit.

Poenae (can. 2368): ad 1. *suspensio* a celebratione missae, ab audiendis confessionibus, *inhabilitas* (perpetua) ad eas excipiendas, *privatio* beneficii, dignitatis, vocis activae et passivae, *inhabilitas* ad ea omnia, in casibus gravioribus *degradatio,* omnes f. s.
ad 2. *excommunicatio nemini* reservata l. s.

Absolutionis conditio: ut denunciaverit aut denunciare serio promittat.

Crimen sollicitationis, medio aevo non prorsus ignotum,[3] in ius poenale inductum est per bullam Pii IV, *Cum sicut nuper*, 16 apr. 1561, quae soli Hispaniae destinata erat. Eam orbi universo extendit, simulque ampliavit delictumque accuratius circumscripsit, Greg. XV, const. *Universi,* 30 aug. 1622. Sed praesertim Benedicti XIV celeberrima contitutio *Sacramentum poenitentiae* definitum fontem iuris constituit, quo nunc quoque utimur.

92. Violatio sigilli. Sigillum sacramentale, quod *omnia* omnino in vera *confessione* (etiam sine absolutione) ratione confessionis *audita* vel ex confessione *cognita,* quatenus haec manifestata in gravamen poenitentis aut odium sacramenti cedant, inviolabiliter tegit, violari potest directe vel indirecte. *Primum* fit si peccatum simul et persona peccatoris indicetur ita, ut vel ab uno cognoscatur aut certo cognosci possit;

---

[1] De sollicitatione fuse agunt omnes theologi morales, qui etiam singula adiuncta casuistice expendunt. *Noldin*, III, 388—395; *Génicot*, II, 394—400; *Ballerini-Palmieri*, V, 708—750.

[2] Hoc affirmant communiter moralistae ex auctoritate s. Alphonsi, qui allegat antiquum decretum S. O.; at neque apud Ben. XIV neque in C. de hac obligatione tertii vestigium est, unde hodie merito quaestio moveri poterit num re vera vigeat.

[3] cf. *Kober*, Deposition, 776 (conc. Trevir. 1227, depositio et excommunic.)

alterum si ex confessarii dictis vel factis maius minusve periculum revelationis exoritur, aut molestia fidelium, aut odium sacramenti.[1]

1. Delictum gravissimum est *directa* sigilli *violatio.* Huius dumtaxat confessarius reus esse potest, licet forte iurisdictione carens et per abusum confessiones excipiens; nullo modo vero laicus, ne quidem ille qui se sacerdotem simulaverit et bona fide confitentes audierit.[2] Praeterea ad delictum requiritur *plena imputabilitas;* in dubio iuris vel facti, tum quoad elementum obiectivum[3] cum quoad subiectivum, favendum est reo. Licentia poenitentis delictum excludit.

2. Violatio *indirecta,* quae etiam in imprudenti usu notitiae ex confessione acceptae contineri potest, est quoque delictum confessarii dumtaxat proprium. Poenaliter ut *indirecta* consideratur quoque violatio sigilli erga ipsum poenitentem facta.[4]

3. *Quicumque,* e contra, delinquere potest in tertia specie si *aut* qua interpres, superior, theologus, *aut* casu, *aut* inadvertentia vel malitia confessarii, *aut* quoquo alio modo notitiam confessionis accepit et secretum prodit in iis quae materiam sigilli pro confessario constituerent.[5]

Poenae (can. 2369): ad 1. *excommunicatio specialissimo* modo reservata, l. s.
ad 2. poenae sollicitationis, f. s.
ad 3. *indeterminatae,* non exclusa excommunic. f. s.

Primi canones qui in violatores sigilli poenas statuunt in Decreto continentur (c. 89, d. 1 et c. 6, d. 6 de poen.) et Leoni I ac Gregorio (?) tribuuntur. At multae quoque antiquae synodi particulares obligationem secretum servandi urgent. Poena erat depositio. Quam, perpetua detrusione in monasterium auctam, Conc. Lat. IV (1215) c. 21 = c. 12, X. 5, 38 universae Ecclesiae extendit. Hoc ius hucusque, saltem theoretice, viguit; censura l. s. nova est.

93. Simonia in sacramentis. Delicti *simoniae* authenticam definitionem in C. habemus: *studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem* (sacramenta, iurisdictionem, indulgentias etc.) *vel rem temporalem spirituali adnexam (sive* res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit ex. gr. beneficium ecclesiasticum, *sive* res spiritualis sit partiale obiectum contractus, ut puta

---

[1] Etiam de sigillo consulendi sunt theologi morales. *Noldin,* III, 421—431; *Génicot,* II, 379—393; *Ballerini-Palmieri,* V, 591 ss.

[2] Aliud quidem docebant moralistae, at quoad poenam, attento can. 889, limitatio perspicua est.

[3] DD. morales oppositum quidem tradunt et recte, quia ipsi de delicto praecavendo, nos de illo puniendo loquimur.

[4] *Hollweck,* § 276 qui, allegatis auctoribus, sententiam dicit esse communem. Idque confirmatur ex verbis can. 889, § 1 „*prodat* peccatorem."

[5] can. 889, § 2.

consecratio in venditione calicis). Haec est simonia sensu stricto, *iuris divini;* at altera quoque habetur *iuris ecclesiastici,* si dentur res temporales spirituali adnexae pro temporalibus spirituali adnexis, vel spirituales pro spiritualibus, vel etiam temporales pro temporalibus, contra Ecclesiae prohibitionem.[1]

Natura sua simonia *contractus* est, ideoque duorum saltem pactio, et complicem postulat. Si in unius animo lateat *(s. pure mentalis)* est quidem peccatum, non autem delictum. Attamen ad hoc constituendum, necesse non est ut contractus (quod nomen late accipiendum quamlibet conventionem complectitur) sit perfectus, re utrinque data et accepta *(s. realis),* aut saltem explicitus *(s. conventionalis),* sed sufficit quodcumque tacitum et implicitum pactum, dummodo ex circumstantiis animus simoniacus colligatur.[2]

Pretium temporale triplex distingui solet: munus *a manu,* idest pecunia vel quidquid pecunia acquiritur; *ab obsequio,* quod est servitium; *a lingua* scilicet gratia, favor, intercessio potentis.

Delicta simoniae complura sunt, quorum alia iam praeoccupata, alia serius tractanda sunt. Hic tantum de simonia in sacramentis conferendis vel recipiendis.

Rei sunt omnes, etiam episcopi, qui *scienter* nempe plena imputabilitate, per simoniam:[3] 1. ad ordines promovent, 2. ordines recipiunt, 3. alia sacramenta administrant, 4. alia sacramenta recipiunt.

Poenae (can. 2371): *a) suspicio* de haeresi,
b) clerico (exceptis episcopis) *suspensio* Sedi Ap. reservata, l. s.

Simoniacam haeresim (uti antiqui dicebant) semper Ecclesia detestata est, et inde a saec. V quo haud infrequentes casus fieri coeperunt, in eam graves poenae statutae sunt: clericis depositio perpetua, laicis anathema.[4] Veteres canones prae oculis habent simoniacas ordinationes, saec. VIII et IX vero haec labes etiam ingressum in religionem inficere coepit et, cum beneficia ab ordinatione seiuncta sunt, collationes quoque beneficiorum, unde sanctiones ad has pariter traduci debuerunt. Iure Decretalium depositioni suffecta est poena suspensionis et excommunicationis; praesertim Sixtus V, const. *Sanctum et salutare,* 5 ian. 1589, simoniacos maximo rigore perculsit. At in const. *Ap. S.* omnes poenae l. s. praetermissae fuerant. Nunc iterum habemus suspensionem.

---

[1] can. 727, §§ 1 et 2.

[2] can. 728.

[3] *Pighi,* 134 et *Caviglioli,* 187 simoniam *realem* requirunt. Ita quidem iure antiquo, at novum *expresse* (can. 728) omnes species simoniae, modo adsit complicitas, aequiparat atque simoniacos indiscriminatim poenis teneri affirmat (can. 729). Unde non est locus applicando n. 2 sed potius n. 3 can. 6.

[4] conc. Chalced. (451) c. 2 et aliae synodi saec. V et seq. cf. *Wernz,* VI, 342; *Devoti,* l. IV, tit. 9, §§ 10—12.

94. Illegitime ordinantes. Sequuntur quaedam delicta episcoporum qui, contra dispositiones canonum, illicite aut consecrant aut ordinant. Species facti, in ipso textu prorsus perspicuae, hae sunt:

1. *Consecratio episcopi* sine apostolico mandato,[1] licet ille fuerit rite nominatus et renunciatus, a fortiori si est intrusus. Rei sunt omnes episcopi consecrantes vel, si unus sit, presbyteri loco episcoporum assistentes.

Poena (can. 2370): *suspensio generalis* l. s. ad arbitrium Sedis Apostolicae.

Hucusque poena depositionis f. s. dumtaxat in consecrantes non legitime electum aut indignum.[2]

2. *Ordinatio alieni subditi* sine Ordinarii proprii litteris *dimissoriis.*[3] At delegatio viva voce data litteris aequiparatur. Ordinatio hic indicat etiam primam tonsuram.[4]

3. *Ordinatio proprii subditi* sine litteris *testimonialibus* aut saltem iuramento suppletorio, si ordinandus tantum temporis extra dioecesim moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere potuerit.[5] Reliqua testimonia quae ius postulat, atque ipsae litterae testimoniales circa impedimenta, quatenus eas exigere prudentiae episcopi remittit, licet forte necessariae, *impune* negliguntur. Et si episcopus proprius munus ordinandi subditum alteri committit, sed neuter de testimonialibus, quamvis necessarias esse sciat, curat, *uterque* poenam effugit.[6]

4. *Promotio ad ordines maiores* clerici titulo canonico non provisi.[7] Promovet episcopus proprius, non qui ex alterius mandato dumtaxat ordinat. Titulus insufficiens aut incertus non est canonicus.[8]

5. *Ordinatio religiosi* qui ad familiam pertinet extra dioecesim ordinantis existentem, *nisi* constet, ex authentico curiae episcopalis testimonio, episcopum dioecesanum licentiam dedisse, aut esse diversi ritus, aut absentem, aut proximo legitimo tempore ordinationes non habiturum, aut denique sedem vacare et qui eam regit charactere episcopali non pollere;[9] vel *nisi* aut episcopus aut religiosus legitimo privilegio gaudeat.[10]

Poena ad 2, 3, 4, 5 (can. 2373): *suspensio per annum* ab ordinum collatione, Sedi Apostolicae reservata.

---

[1] can. 953.

[2] *Hollweck*, § 215.

[3] can. 955 ss.

[4] can. 950.

[5] can. 993, 994.

[6] Ita hodie, cum textus hanc interpretationem admittat et in odiosis versemur; aliter antehac quia in lege dicebatur: „vel *etiam* subditum proprium."

[7] can. 974, § 1, n. 7.

[8] can. 979—982. At *D'Annibale*, 145 in hoc casu a censura eximit.

[9] can. 965—966.

[10] Sunt nempe ordines qui privilegium habent dimittendi suos alumnos ordinandos ad *quemcumque* episcopum.

Collatio ordinum *sine dimissoriis litteris* in iure Decretalium (c. 2, in VI, 1, 9) eandem poenam afferebat, quae in constit. *Ap. Sed.* (V, 3) quoque continetur. Sed iam inde ab antiquissimis temporibus alienum clericum ordinare nefas fuit.[1]

Conc. Trid. (sess. XXIII, c. 8 de ref.) necessitatem afferendi *litteras testimoniales* in ordinatione clerici alieni, sub poena suspensionis per annum, constituerat. Innoc. XII in const. *Speculatores,* 4 nov. 1694, eam ad episcopum proprium extenderat. Lex in bullam *Ap. Sed.* (V, 3) transiit.

Iure anteriore, ordinans aliquem *sine titulo* tenebatur eum sustentare et si accesserat pactum ut alimenta non peterentur, suspensus erat per triennium a collatione ordinum. Quae sanctio in c. 45, X, 5, 3 contenta, in bulla *Ap. S.* (V, 1) legebatur; et alia suspensionis per annum illi qui sine titulo ordinavisset clericum religiosum sollemniter non professum (V, 4).

Ordinationem religiosi extra dioecesim habitantis, etiam cum litteris dimissoriis superioris, aequiparari illicitae ordinationi non subditi declaravit Ben. XIV, const. *Impositi nobis,* 27 Febr. 1747.

95. Illegitime ordinati. Praeterquam in ministros ordines male conferentes, ius poenas statuit etiam in illos qui *illegitime ordines suscipiunt.* Huc veniunt:

1. Qui consecrationem episcopalem recipit, sine apostolico mandato. *Poena* (can. 2370): *suspensio generalis* l. s. ad beneplacitum Sedis Apostolicae.

2. Qui *ordines* (non tonsuram tantum)[2] recipiunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto *post sententiam* aut a *notorio* apostata, haeretico, schismatico. Canon distinguit utrum quis recipere *praesumpserit* an *bona fide* ordinatus fuerit. *Ille* dumtaxat, qui plena imputabilitate egit, reus est veri delicti; *hic* ob malam ordinationem, licet inculpabilem, exercitio ordinis caret, donec ab episcopo suo dispensetur. Quae privatio proprie nec censura nec poena est. Praesumentem vero manet: *Poena* (can. 2372): *suspensio a divinis,* Sedi Ap. reservata l. s.

Hoc quoque delictum in antiquissimis canonibus consideratur. Et quidem haud pauci olim fuerunt qui eiusmodi ordinationem invalidam haberent. Inde a saec. XIII autem validitate extra dubium posita, ordinatus ipso facto suspensioni obnoxius fuit, at tantummodo ab ordine male suscepto.[3] Ita etiam in bulla *Ap. S.* (V, 6), dum hodie suspensio *a divinis* est.

3. Qui *sine* litteris vel cum *falsis dimissoriis* litteris, *vel* ante canonicam *aetatem*[4] *vel* per *saltum*[5] ad ordines *malitiose* accedunt.

---

[1] *Wernz.* II, 26, IV.

[2] Controversia an *ordo episcopalis* comprehendatur hodie otiosa videri potest, attento can. 2370. cf. *Hollweck,* § 221, n. 3.

[3] *Hollweck,* § 221; *Wernz,* II, 26.

[4] can. 976, § 1.

[5] can. 974, § 1; can. 977.

Omnes quattuor casus requirunt plenam imputabilitatem. Tonsura hic nomine ordinis non venit.

Poena (can. 2374): *suspensio* a *recepto ordine,* nemini reservata, l. s.

4. Qui *sine* litteris *testimonialibus* vel aliqua *censura, irregularitate, impedimento* detenti *malitiose* ordines recipiunt. Etiam hic ignorantia aliave imputabilitatis imminutio excusat.

Poena (can. 2374): *indeterminata,* gravis.

Haec delicta, iam iure antiquo perculsa, Conc. Trid. iterum coercuerat vel per suspensionem Ordinario proprio reservatam vel per prohibitionem ordinem exercendi.[1]

96. Matrimonium mixtum, sine legitima dispensatione, *invalidum* est si obstat impedimentum disparitatis cultus, *illicitum* si mixtae religionis. At hoc quoque invalidum esse potest ex alia causa, ex. gr. ob clandestinitatem aut consanguinitatem. Criminaliter autem nihil interest; catholicus qui *ausus fuerit* matrimonium inire cum non baptizato aut acatholico, sine Ecclesiae dispensatione, reus est delicti canonici.[2]

Poena (can. 2375): *exclusio* ab *actibus legitimis* et a *sacramentis* l. s. arbitrio Ordinarii.

Species facti nova est. Tamen etiam antehac ut *publici peccatores* habendi erant. Aliae poenae in delicta cum hoc saepe connexa v. supra n. 60, 4—7.

VII. DELICTA CONTRA OBLIGATIONES PROPRIAS STATUS CLERICALIS VEL RELIGIOSI

97. Violatio obligationum communium. Clerici, uti tales, multis obligationibus tenentur, quae ipsius status propriae sunt et pietatem, scientiam, obedientiam, vitam et honestatem respiciunt. De his omnibus leges in C. extant, quarum complures etiam sanctionem poenalem adnexam habent.

1. Expleto studiorum curriculo *examen* singulis annis, saltem per triennium, in sacris disciplinis subire debent.[3] Qui nec dispensati nec impediti hoc examen non dumtaxat devitant sed positive facere renuunt, ideoque cum quadam contumacia legem violant, delinquunt.

Poena (can. 2376): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

---

[1] cf. *Hollweck*, §§ 217, 218, 224, 225.
[2] cf. *Chelodi*, Ius matrim. 64 ss.; 79 ss.
[3] can. 130.

2. Pariter rei censentur, *post* inutilem *monitionem,* omnes sacerdotes saeculares atque, e regularibus, qui curam animarum habent necnon, nisi pro iis collationes casuum in eorum domibus habeantur, qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt, si *conferentiis* de re morali et liturgica, ab Ordinario loci praescriptis, non intersunt.[1]

Poenae (can. 2377): *a)* clericis saecularibus et regularibus curam animarum habentibus, *indeterminatae* arbitrio Ordinarii,

b) reliquis religiosis, *suspensio* ab audiendis confessionibus saecularium.

3. Item rei sunt clerici *maiores* qui in sacro ministerio *ritus* et *caeremonias* ab Ecclesia praescriptas *graviter* negligunt, si post *monitionem* canonicam sese non emendaverint.[2]

Poena (can. 2378): *suspensio* partialis vel totalis pro diversa reatus gravitate, f. s.

4. Obligatio deferendi *habitum clericalem,* secundum locorum consuetudinem et Ordinarii praescripta, ac tonsuram, ubi haec usuvenit, gestandi omnes clericos afficit. At aliter in clericis minoribus aliter in maioribus transgressio consideratur. Illi, cum suo marte quolibet momento ad saeculum redire queant, si habitum deponant et *moniti* intra mensem non resumant, iam praesumuntur ordini clericali valedixisse et ipso iure ab hoc decidunt.[3] Maiores, e contra, suam vestem deferre coguntur et *contumaces* puniuntur. Requiritur scilicet primum *monitio canonica,* indicto mensis termino ut se emendent, quo inutiliter lapso locus est poenae *primi gradus;* si neque haec proderit *et* clericus ad vitae genus a statu clericali notorie alienum transierit *altera monitio* facienda est cum termino trium mensium, post quos si non resipuerit locus est poenae *secundi gradus.*

Poenae (can. 2379 et 188): *a) primi* gradus: *suspensio* ab ordinibus, f. s.
amissio officii cuiuslibet, l. s.

b) secundi gradus: *depositio.*

Ius vigens derivat praesertim a c. 2, Clem. 3, 1 et Conc. Trid. sess. XIV c, 6, de ref. quod clementinam constitutionem innovavit et ampliavit. In hac

---

[1] can. 131.

[2] Conc. Trid. sess. XXII *de observandis in celebr. missae.* Hucusque Episcopus contra regulares quoque, etiam ut delegatus S. Apost. procedere poterat, nunc saltem si extra domum deliquerint ex can. 616, § 2. cf. *Hollweck,* § 269.

[3] can. 136, § 3.

re C. nihil immutavit. Delictum cui poena secundi gradus indicitur vocatur *apostasia ab ordine,* quae iure antiquo infamiam et excommunicationem f. s. secum ferebat.[1]

5. Prohibentur quoque «clerici per se vel per alios *negotiationem* aut *mercaturam* exercere sive in propriam sive in aliorum utilitatem».[2] Quibus generalibus verbis omnis prorsus negotiatio, non tantum *proprie dicta* — quae quattuor requirit: ut res ematur et vendatur, ut vendatur immutata, ut vendatur carius, ut empta sit ut carius immutata venderetur — personali opere peracta, *sed etiam* quaelibet participatio in aliorum commercio et negotiatio *impropria* (industria per operarios exercita) nec non negotiatio quae dicitur *politica, excluditur.*[3] Sola *oeconomica* est permissa.[4] Societatum *obligationes* habere certe licitum est; *actiones* licitum vel illicitum prout natura societatis est: si commercialis non licet, si industrialis sensu proprio controvertitur, si industrialis sensu lato (via ferrea, fodina etc.) licet.[5] Ad conceptum negotiationis requiritur *habitus, nec* satis est unus vel alter actus.

Poena (can. 2380): *indeterminata* arbitrio Ordinarii.

Negotiatio clericis semper interdicta fuit, nisi *necessitatis* causa fieret. Sed institutis et auctis beneficiis necessitas rarissime admittebatur, ita ut prohibitio fere absoluta esset. Poenae hucusque — ex iure Decretalium et ex Conc. Trid. — vigentes erant excommunicatio, suspensio, imo degradatio, omnes tamen f. s. Poenae l. s. contra *missionarios* in const. Urbani VIII et Clem. IX scriptae etiam post bullam *Ap. S.* vigebant,[6] nunc autem certo sublatae sunt.

98. Neglecta residentia. Clerici qui beneficium cui adnexa cura animarum obtinent, aut aliud duplex, aut officium vel dignitatem, quae hodie saepe beneficiis aequiparantur, aut etiam beneficium simplex si tabulae fundationis id expresse iubent,[7] habent speciale onus *residentiae,* quae definitur: assidua commoratio in loco muneris eiusdem adimplendi causa. Tamen poenaliter nedum residentia *formalis* seu activa, sed *materialis* quae sola praesentia etiam otiosa absolvitur sufficit; a fortiori *praesumpta,* quae in iure pro vera habetur. Legitimae causae a residentia excusantes ad quattuor reducuntur: christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas;[8]

[1] cf. *Hollweck,* § 227.
[2] can. 142.
[3] Ad *hanc* dispensat Ordinarius. C. I. 2/3 iun. 1918 (A. IX, 344).
[4] cf. *Oietti,* Synopsis, v. *Negotiatio.*
[5] *Oietti* o. c. v. *Actiones; Wernz,* II, 219.
[6] S. O. 4 dec. 1872 (AS VII, 317.)
[7] C. suis locis etiam in particulari indicat, qui clerici residere teneantur: can. 238, 301, 315, 323, 338, 354, 418, 440, 448, 465, 471, 476.
[8] cf. *Wernz,* II, 469, 472.

quas tamen, ut efficaces sint, debet superior in scriptis agnoscere. Ipsum ius praeterea annuales vacationes concedit.

Delictum neglectae residentiae *ipso facto* illegitimae absentiae constituitur et etiam deficiente contumacia puniendum est.[1] Si autem haec accedat, gravius fit et peculiaribus sanctionibus plectitur. Ordo procedendi hic quoque potius *disciplinaris* quam iudicialis est. Ordinarius debet praeprimis absentem *canonice monere* ut redeat, memoratis poenis iuris et praefinito termino intra quem residentia sit instauranda. Interim, si agatur de parocho, curae animarum providetur per substitutum, illius impensis.[2] Si clericus intimationi nec obtemperat, quamvis eam acceperit, nec respondet, quamvis impeditus non sit (et de utraque conditione Ordinarium se certiorem reddere oportet) iam constat de *contumacia.*[3] Idem dicendum si clericus *amovibilis* causas absentiae quidem affert, sed hae ab Ordinario simul cum duobus examinatoribus perpensae illegitime inveniuntur, et *facta nova intimatione* intra praefixum tempus non redit.[4] Clericus *inamovibilis* vero ius habet *secundae instantiae,* iterum coram Ordinario et examinatoribus, et demum si in ista quoque succumbat, *denuo monitus* et non obtemperans, contumax censetur.[5] In quolibet casu praeterea constare debet clericum ante discessum licentiam in scriptis Ordinarii petere potuisse.[6] Illi qui solummodo post monitionem in processu administrativo revertitur dandum est praeceptum ne rursus discedat, sine scripta licentia, sub poena privationis beneficii ipso facto incurrenda.[7] Quare cum *recidivo* ordo procedendi supra allatus non adhibetur.

Poenae (can. 2381 et 188): *a) sine* contumacia: *privatio fructuum* officii vel beneficii pro rata absentiae, l. s.[8]
b) cum contumacia: *privatio* ipsius *officii* et *beneficii,* l. s.

Legem residentiae, cum in genere ipso iure divino innitatur, Ecclesia iam antiquissimis temporibus et deinde durante toto medio aevo severissime inculcavit. Antiquos canones Concilium Trid. in sess. VI, c. 1 et sess. XXIII, c. 1 de ref. confirmavit et ampliavit, accurate statutis in inobedientes poenis quae quoad substantiam hodiernis respondent.[9]

---

[1] can. 2170.
[2] can. 2168.
[3] can. 2149 et can. 2169.
[4] can. 2171—2173.
[5] can. 2174.
[6] can. 2175.
[7] can. 2173 et 2174, § 3.
[8] Fructus tradendi sunt Ordinario, qui eos ecclesiae vel alicui pio loco vel pauperibus distribuat.
[9] cf. *Wernz,* II, 469, 478, 480, 483; *Hollweck,* §§ 290—292.

99. Delicta parochorum, quae omissis aut graviter neglectis obligationibus proprii officii committuntur, non in processu stricte iudiciali probantur et puniuntur, sed provisionibus disciplinaribus subsunt. C. in can. 2382 quaedam recensens ad alios canones (2182—2185) remittit, in quibus poenae continentur, simul autem aliae quoque species facti afferuntur.[1] Singulis textibus collatis,[2] sequentes transgressiones sanctionem poenalem habere dignoscuntur:

a) gravis negligentia in administratione *sacramentorum* legitime petentibus, *b)* in *infirmorum* assistentia, *c)* in institutione catechetica *puerorum,* tum occasione primae communionis tum singulis annis tempore quadragesimae, ac *populi* quolibet die dominico et festo de praecepto, *d)* in habenda *concione* diebus dominicis ceterisque festis, *e)* in *custodia* ecclesiae paroecialis, sanctissimae Eucharistiae, sacrorum oleorum, *f)* in *officiis* divinis celebrandis, *g)* in externo *regimine* paroeciae praesertim erga errantes et pauperes.

Quorum officiorum assiduum exercitium Ordinarius imprimis vigilantia et exhortationibus promovere debet. Poenae nonnisi in *contumaces* adhibendae sunt, et quidem *per gradus.* Itaque premittenda est *monitio* in forma iuridica, quae negligenti revocet *et* suam gravem obligationem *et* canonicas sanctiones. Post hanc si emendatio secuta non sit, imo constet, per iudicium Ordinarii et duorum examinatorum facta parocho sese defendendi facultate, delictum *iterato,* per *notabile tempus,* in re *gravis momenti* admissum esse, proceditur ad *correptionem* cum adnexa aliqua poena arbitraria.[3] Ulterius animadvertitur, si post correptionem delictum perduret et eisdem sollemnitatibus probatum fuerit: in parochum *amovibilem* privatione paroeciae, in *inamovibilem* privatione fructuum in totum vel ex parte.[4] Quartus gradus procedurae instituitur contra parochum *inamovibilem,* perfracte obsistentem, qui eodem ordine beneficio privatur.[5]

Secundum antiquum ius (c. 8, d. 81; c. 9, d. 92; cc. 5 et 9, d. 91) quod canonistae etiam recentiore tempore ut vigens exhibebant,[6] *gravis* et *obstinata* neglegentia in obligationibus officii adimplendis depositione vel arbitariis poenis coercenda erat. Quoad concionem et catechesim, in specie, habebamus severas leges Conc. Trid. sess. V, c. 2 et sess. XXIV, c. 4 de ref. quae usum censurarum

[1] Qua in re ut etiam alibi, aliqualis imperfectio in redactione C. deprehenditur. Can. 2382 adaequate respondere deberet can. 2182, quod tamen non est. Inde necessitas eos aliquo modo componendi.

[2] can. 467, § 1; 468, § 1; 1178; 1330—1332; 1334; 2182; 2382.

[3] can. 2182—2183.

[4] can. 2184.

[5] can. 2185.

[6] cf. *Hollweck,* § 286.

aliarumque poenarum admittebant.[1] Sed proximus fons hodierni iuris est can. 1, n. 8 decreti Pii X, *Maxima cura,* 20 aug. 1910 (A. II, 636), quo legitimae causae et ordo procedendi in amotione administrativa ab officio ac beneficio paroeciali statuta sunt.

h) Alia obligatio parochorum est diligenter conscribendi et servandi libros baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum secundum normas in iure praefinitas.[2] Gravis negligentia in hoc officio adimplendo est delictum canonicum.

Poena (can. 2383): *indeterminata,* arbitrio Ordinarii.

100. Negligentia canonici theologi et poenitentiarii. Cum hi canonici officium habeant ad curam animarum pertinens, ille praedicandi hic audiendi confessiones,[3] si illud *graviter* et *pertinaciter* negligant simile delictum ac parochus committunt et, congrua congruis referendo, eodem modo puniendi sunt. Episcopus debet, igitur, eos *gradatim* compellere monitionibus, comminatione poenarum, subtractione portionis fructuum, iis assignandae qui illorum vices suppleant.

Haec leniora remedia adhibenda sunt durante *primo anno* post canonicam monitionem. Elapso inutiliter anno, locus est poenae secundi gradus, quae est *suspensio a beneficio* f. s. Si nec haec prodest, post aliud *semestre,* ad ultimum gradum proceditur: *privationem* ipsius beneficii f. s. Animadvertendum est tum suspensioni tum praesertim privationi praemittendam esse, ex analogia cum reliquis similibus dispositionibus C., *novam monitionem* praefinito tempore ad resipiscendum. Item necesse esse ut processu *iudiciali* poenae inferantur (can. 2384).

Canonicum *theologum* compelli posse ad suum officium per subtractionem fructuum statuit Conc. Trid. sess. V, c. 1 de ref. et pluries confirmavit C. C.[4] Quam legem ad poenitentiarium extensam et quoad sanctiones graviorem nunc C. innovavit.

101. Delicta religiosorum. Peculiares obligationes, quas religiosi ratione sui status habent, in eorum constitutionibus etiam poenis urgentur.[5] Ius commune illis delictis cavet dumtaxat quae non internam singularum religionum vitam, sed potius ipsam iuridicam relationem inter alumnum et religionem respiciunt, et quae, cum extra domum et coram reliquis fidelibus perpetrentur, ordini publico Ecclesiae perturbando apta sunt. Quae delicta, sive religiosi sive religiosae,[6] quattuor sunt: apo-

[1] *Hollweck,* § 289.
[2] can. 470.
[3] can. 400 et can. 401.
[4] Decisiones in *Richter,* Conc. Trid., Lipsiae 1853, p. 17 ss.; *Oietti,* o. c. v. *Can. theologus*
[5] can. 501.
[6] can. 490. — Dubitat *Cappello,* 134 afferens argumenta quae valde persuasibilia non videntur.

stasia a religione, fuga a religione, dolosa professio, violatio vitae communis.

1. *Apostasiae a religione* authentica definitio in C. prostat. Huius delicti reus est «*professus* a votis *perpetuis* sive sollemnibus sive simplicibus qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, *vel* qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat».[1] Ex qua patet apostasiam exulare si *aut* de religione agatur ubi vota temporaria tantum emittuntur *aut* de religioso qui talia dumtaxat, etiam in vero ordine, nuncupavit. Delictum autem exurgit ex *facto* et *animo*. *Illud* facile cognoscitur; iste in foro externo interdum indubie arguitur a signis manifestis, ex. gr. si religiosus matrimonium attentat aut in hostilia castra transit, interdum latet et tunc *praesumptio iuris* succurrit, ex qua dolus probatus censetur si intra mensem nec reversus fuerit nec superiori animum revertendi manifestaverit.[2] Qui mensis legitime egresso incipit a die quo reverti debuisset. Praesumptio vero non excludit contrariam probationem.

Poenae (can. 2385): *a) excommunicatio* l. s. reservata superiori maiori si religio est clericalis et exempta, secus Ordinario loci;
b) exclusio ab *actibus legitimis* l. s.;
c) privatio omnium *privilegiorum* suae religionis l. s.;
d) si redierit, *privatio* perpetua *vocis* activae et passivae l. s. et poenae constitutionum.

2. *Fuga a religione* habetur si quis «sine superiorum licentia domum religiosam deserit *cum* animo redeundi».[3] Hoc delictum committere possunt etiam alumni societatum *clericalium* vitae communis, qui nulla vota nuncupant.[4] Et quamvis, a fortiori, fugitivus sit etiam qui vota temporaria tantum emisit, nullo modo hoc de novitio affirmandum est.[5]

Poenae (can. 2386): *a) privatio officii* in religione, l. s.;
b) suspensio superiori maiori reservata si est in sacris;
c) cum redierit, poenae constitutionum, aut arbitrariae a superiore infligendae.

Statim fere ac monachi fuerunt Ecclesia leges contra monasteriorum desertores condere debuit. Unde iam saec. V cum in Oriente tum in Occidente ca-

[1] can. 644, § 1.
[2] can. 644, § 2.
[3] can. 644, § 3.
[4] C. I. 2/3 iun. 1918 (A. IX, 344). Interpretatio, uti videtur, *extensiva*.
[5] can. 571, § 1.

nones conciliorum tales monachos cohibentes habemus.[1] Legislatio medioaevalis vim iuris communis obtinuit in c. 2, in VI. 3, 24, ubi apostatae qui habitum deposuit excommunicatio l. s., illi qui vestem retinet f. s. indicitur.[2]

3. Egressus e religione evenire etiam potest quia *professio irrita* cognoscitur et declaratur. Cuius nullitatis causa si *dolo* religiosi inducta sit, de apostasia aut fuga quidem loqui nequimus, at ius non permittit ut per fraudem quis sibi commodum comparet et si religiosus ordines recepit sese in clerum saecularem intrudere possit. Unde sanctiones quae characterem poenalem simul et *administrativum* habent. Sub qua altera ratione applicantur etiam alumnis societatum vitae communis,[3] qui sane, cum professionem non emittant, nullius delicti rei sunt. Dolus probatur in eodem processu, quo nullitas votorum pronunciatur.

Poenae (can. 2387): *a)* si clericus in minoribus est, dimissio a statu clericali;

b) si in maioribus, *suspensio* Ap. Sedi reservata, l. s.

4. *Violatio legis vitae communis* in re notabili et cum *contumacia.* Poenae igitur locus est tantummodo post monitionem, emendatione non secuta.

Poenae (can. 2389): *a) privatio vocis* activae et passivae, f. s.

b) privatio officii, si reus superior sit, f. s.

102. Matrimonium sacrilegum. Apostasiam cumulat religiosus qui matrimonium, *etiam* civile, contrahit aut contrahere attentat. Ipse enim statum iuridicum sibi constituere conatur qui cum voto castitatis incompatibilis est atque eius ad religionem regressum difficiliorem reddit. Unde iam fuga a monasterio religiosi cum muliere, religiosae cum viro delictum gravius facit quodque dimissione l. s. percellitur.[4] Ex similibus rationibus *clerici in sacris* eiusdem delicti rei sunt, sive a voto sive a lege obligatio servandi coelibatum eis derivet. Species facti constituuntur itaque violatione impedimentorum voti simplicis, voti sollemnis, ordinis sacri.[5] Delinquunt omnes *praesumentes* contrahere: clericus, religiosus, religiosa, compartes. In quibus ultimis sane interdum bona fides aut ignorantia vel facti vel iuris esse poterit, quae etiam crassa eos excusat. Nihil interest autem utrum matrimonium invalidum, sive ex voto sive ex alio impedimento, an illicitum tantummodo sit. Pro diversitate conditionum vero delinquentes in varios ordines distinguendi sunt: 1. cle-

---

[1] Conc. Arel. II (443) c. 25; Conc. Chalced. (451) c. 7.

[2] *Wernz,* VI, 274; *Hollweck,* § 228.

[3] C. I. 2/3 iun. 1918.

[4] can. 646, § 1.

[5] cf. ius matrimoniale, can. 1053, 1072, 1073; *Chelodi,* o. c. 54s, 82ss, 87s.

rici et regulares professi in sacris; 2. reliqui sollemniter professi; 3. professi votorum simplicium perpetuorum; 4. contrahentes cum recensitis ad 1 et 2; 5. contrahentes cum recensitis ad 3.

Poenae (can. 2388): ad 1, 2 et 4, *excommunicatio simpliciter* reservata, l. s.;
ad 3 et 5 *excommunicatio Ordinario* reservata l. s.;
ad 1, 2 et 3, *dimissio* a religione, l. s.;
ad 1 si moniti intra congruum tempus non resipuerint *degradatio,* f. s.;
praeterea clericis *privatio* cuiusque officii l. s.

Antiquissimum ius clericis maioribus nubentibus poenam *depositionis* inferebat, monachis et virginibus graves *poenitentias publicas* et, si contumaces, *excommunicationem.*[1] Clemens V (c. un. Cl. 4, 1) excommunicationem l. s. *nemini* reservatam statuit, quam Conc. Trid. etiam ad complices extendit. Bulla *Ap. S.* (III, 1), missis reliquis complicibus, censuram confirmatam et Ordinario reservatam limitavit clericis, regularibus, compartibus. C. gradum reservationis auget et addit censuram in professos votorum simplicium.

VIII. DELICTA IN COLLATIONE ET DIMISSIONE OFFICIORUM ET BENEFICIORUM

103. Delicta in collatione. Provisio officii vel beneficii ecclesiastici triplici actu absolvitur: designatione personae, concessione tituli, introductione in possessionem. Qui omnes ab uno (libera collatio) vel singuli a singulis poni possunt; et praesertim designatio candidati saepe personae physicae aut morali reservata est (electio, nominatio, praesentatio), quae illum superiori indicat. Ea tamen regula inviolabiliter servanda est nonnisi ab auctoritate ecclesiastica provisionem perfici et iurisdictionem conferri posse.[2] Reliqui autem qui in negotio partes habent canonicas normas eis statutas adamussim sequi tenentur. Itaque, sive usurpata ecclesiastica auctoritate sive illegitimo exercitio iuris quaesiti sive eiusdem iuris violatione, complura delicta in provisione officii vel beneficii committi possunt.

1. *Ius eligendi,* quod certis personis moralibus in Ecclesia pertinet, prorsus libere exercendum est. Hanc libertatem *impedire,* quovis modo, coactione physica vel morali, fallaciis, corruptione, per se vel per interpositas personas, est delictum canonicum. Quod committere possunt sive clerici sive laici, et si *hi* se immiscuerint electio est etiam ipso

---

[1] Conc. Neocaes. (325) c. 1; conc. Ancyr. (314) c. 10 et 19; conc. Illib. (300?) c. 13 et 33, aliique multi in Decreto relati. cf. *Wernz,* IV, 377, 391.

[2] can. 147, §§ 1, 2; cf. *Wernz,* II, 286.

iure invalida.[1] Eodem modo delinquunt ii quoque qui, post electionem et propter ipsam, electo vel electoribus quamcumque *molestiam* inferunt.

Poena (can. 2390, § 1): *indeterminata,* pro modo culpae.

Species facti continetur in c. 12, in VI. 1, 6; poena usque ad bullam *Ap. S.,* quae eam omisit, erat excommunicatio l. s.[2]

2. *Electores* vero *ecclesiastici,* idest clerici vel religiosi non autem laici, qui libertatis coactionem, a saeculari *potestate* aut etiam a *privatis* saecularibus personis faciendam, *sollicitaverint,* licet sine fructu, *aut sponte admiserint,* non metu coacti, rei sunt. Item *electus* qui electioni taliter peractae *scienter consenserit.* Ad constituendum delictum requiritur ut immixtio laicalis sit *illegitima* et *dolosa,* non forte ex aliquo privilegio vero aut bona fide praesumpto derivans. Poena percellit electores sollicitantes iam ante electionem, admittentes effectu secuto, et eos afficit in altera electione quae, cum prima invalida sit, sequi debet.

Poenae (can. 2390, § 2): *a) electorum,* privatio iure pro ea vice eligendi, l. s.;
b) electi, perpetua *inhabilitas* ad illud officium vel beneficium, l. s.

Est ius c. 43, X. 1, 6, in poenis aliquatenus mitigatum, sed ad *sollicitantes* protractum.[3]

3. Alia delicta, quorum *electores* rei fieri possunt sunt *electio indigni* et *violatio formae* substantialis. *a)* Indignus est qui tali impedimento detinetur, in quo nequeat aut non soleat dispensari;[4] ille cui aliud impedimentum obest debet quidem non eligi sed postulari, at error in formula non videtur sufficere ad delictum constituendum. Singuli qui male eligunt imputabilitatem poenalem non contrahunt, at vero *collegium* si maior pars *scienter*[5] ita egerit. *b)* E contra rei sunt *singuli* electores qui *scienter* electionis formam non servant in iis quae ad essentiam actus pertinent. *c)* Idem delictum ac collegium, quod eligit indignum, committit etiam *patronus* vel privilegiatus qui eiusmodi *scienter* praesentat vel nominat.

Poenae (can. 2391): ad *a)* et *c) privatio iuris* pro ea vice.
ad *b) indeterminatae* arbitrio Ordinarii.

---

[1] can. 166. Si agitur de electione veri nominis, a *collegio* ecclesiastico peracta. Electiones populares esse dumtaxat *rescindibiles* arbitramur. cf. *Wernz,* II, 323.

[2] cf. *Hollweck,* § 242.

[3] cf. *Hollweck,* § 241.

[4] can. 182. cf. *Wernz,* II, 362 s.; 392 ss.

[5] Quod praesumitur, quia electores obligationem habent inquirendi in qualitates electi.

Iure Decretalium indignum eligentes aut formam electionis non servantes amittebant nedum vocem activam sed et passivam ac insuper poenis arbitrariis plecti poterant. Idem ius de postulantibus vigebat.[1]

4. Delictum *usurpatae auctoritatis* admittunt omnes qui iure eligendi, praesentandi vel nominandi legitime quidem fruuntur, at, cum eis competat tantummodo designare personam et ei *ius ad rem* tribuere, superioris potestatem sibi vindicantes ipsum officium vel beneficium, neglecta confirmatione aut institutione, cum *iure in re* conferre *praesumunt.* In laicis saepe ignorantia et bona fides admittenda erit, quae imputabilitatem tollit, non item in clericis, quos evidens principium iuris, munera in Ecclesia nonnisi a legitima auctoritate concedi posse, latere nequit.

Poena (can. 2393): *privatio* iuris pro ea vice, l. s.

Haec species facti ut distinctum delictum, iure antiquo, relate ad conferentes non considerabatur, at profecto relate ad accipientes (cf. infra n. 105).

104. Simonia in officiis et beneficiis. Quid simonia iam dictum est (n. 93). Hoc loco cavetur ea quae in officiis, beneficiis, dignitatibus perpetratur. Et cum beneficium et a fortiori officium ita sit cum re spirituali connexum ut sine hac nullo modo esse possit, de iis pretio pacisci est simonia *iuris divini.*[2] Tamen, in unico casu in quo permutatio alterius cum altero fieret, haberetur simonia *iuris ecclesiastici* si pinguius accipiens daret compensationem pretio aestimabilem.[3] Utramque esse delictum intelligitur, quia lex non distinguit. Ex eadem ratione nihil interest utrum *realis* an *conventionalis* an *confidentialis* sit.[4] Quae ultima species, propria beneficiorum, in eo expresso vel tacito pacto est, ut quis alteri beneficium procuret, hic illud post certum tempus in procurantis favorem dimittat aut eidem ex fructibus pensionem solvat. Exulat, e contra, delictum ubi de contractu agitur qui nec circa officium, nec beneficium, nec dignitatem versetur. *Officium,* quod hic stricto sensu accipere debemus,[5] est munus ecclesiasticum *stabiliter* constitutum, *canonice conferendum,* aliquam secumferens participationem *potestatis* sive ordinis sive iurisdictionis;[6] *beneficium* est officium cum adnexa dote et

---

[1] *Hollweck,* § 240; *Thesaurus,* P. II, v. *Electio.*

[2] can. 727, § 1.

[3] can. 1488, § 1.

[4] Iterum *Pighi,* 94 et *Caviglioli* 148, qui solam simoniam *realem* admittunt, adversarios habemus. At, quamvis studium interpretis iuris poenalis esse debeat ut odia restringat, hoc contra textum facere nefas est. Quare, ut iam supra diximus, eis assentiri non possumus (cf. supra n. 93). Ad C. non praeoccupata opinionibus antiquiorum mente accedere oportet, quia iure formaliter prorsus novo utimur.

[5] can. 145, § 2.

[6] can. 145, § 1.

iure ex eadem reditus percipiendi;[1] dignitas est canonicatus cum aliqua praeeminentia, plerumque honoris tantum.[2] Unde nec omnia servitia ecclesiastica, etiam mercede compensata (v. c. munus professoris, officium organaedae, aeditui etc.) nec cappellaniae laicales,[3] nec pensiones et alia huiusmodi huc veniunt.

In omnes actus qui ad collationem, susceptionem, dimissionem officii vel beneficii necessarii sunt simonia irrepere, ab omnibus qui in eis aliquam partem habent *delictum* committi potest. Cuius primus effectus, civilis potius quam poenalis, est ut provisio omni vi careat, etiamsi *tertius,* inscio proviso dumne in eius fraudem, simoniam perpetraverit; ideoque et beneficium officiumve dimitti et perceptos fructus restitui necesse sit.[4] Praeterea veros reos manent:

Poenae (can. 2392): *a) excommunicatio simpliciter* reservata, l. s.
b) privatio perpetua *iuris* eligendi, praesentandi, nominandi, l. s.;
c) suspensio, si clerici sunt, f. s.

Cum primum beneficia instituta sunt, etiam de eis pacisci homines incoeperunt. Satis notum est quam late hoc vitium in medio aevo grassaverit. Nil mirum igitur si multiplices leges contra illud latae sunt. Ius Decretalium, praeter privationem beneficii, excommunicationem, inhabilitatem ad quaecumque alia, *depositionem* statuerat. Simonia *tum* realis *tum* conventionalis, *tum* circa beneficia *tum* circa officia, plectebatur.[5] Saec. XVI, peculiaris species simoniae *confidentialis* novis constitutionibus (primum contra Cardinales) coerceri debuit.[6] At in bulla *Ap. S.* (II, 8, 9, 10) censurae l. s. ad simoniam realem et confidentialem et quidem in *beneficiis* commissam *limitatae* fuerunt. Hodie igitur ad superiorem disciplinam redimus.

105. Delicta in actu susceptionis. Provisionem officii vel beneficii etiam ubi designatio personae tertio cuidam competit nonnisi ab auctoritate legitima, per concessionem tituli, fieri posse iam diximus. Quare non solum electores aut patroni qui hoc fundamentale ius Ecclesiae neglegunt delicti rei fiunt,[7] sed eo magis clerici qui sine iure omnino aut cum iure ad rem dumtaxat munera sibi arripiunt.

1. *Primum* et gravius delictum admittit, igitur, qui beneficium, officium, dignitatem *propria auctoritate* occupaverit, aut, quod in idem recidit, a laicis susceperit. Huic nullum prorsus ius, nec quaesitum quidem

---

[1] can. 1409.
[2] can. 393, 394, 396.
[3] cf. supra n. 44.
[4] can. 729.
[5] cf. *Hollweck,* §§ 116-120.
[6] *Pius IV,* const. *Romanum Pontificem,* 17 oct. 1564 et *Pius V,* const. *Intolerabilis,* 1 iun. 1569
[7] can. 2393; supra n. 103, 4.

suffragatur, et verus usurpator censetur cui, si aliae conditiones in can. 2346 recensitae non deficiant, etiam huius poenae applicandae sunt.[1]

2. Sed rei quoque sunt qui ius ad rem tantum habentes, quia rite electi, praesentati vel nominati, in possessionem, regimen aut etiam meram administrationem beneficiorum munerumve *se ingerunt,* antequam acceperint et quibus de iure exhibuerint litteras confirmationis vel institutionis superioris, per quas demum plenum ius adipiscuntur. Dispositio C. non respicit, uti ex sanctione patet, Episcopos eisque maiores,[2] qui tamen, si deliquerint, arbitrio S. Sedis puniendi sunt.

3. Horum (sub 2) complices, ideoque delicti imputabiles fiunt *capitula, conventus, aliique omnes* ad quos spectat legitimitatem tituli examinare et agnoscere, si eos ante litterarum exhibitionem *admittunt.* Ex natura poenae latae colligitur reos haberi tantummodo eos qui partem in collatione habent, non reliquos qui intruso oboedientiam forte praestant, beneficium tradunt (vicarius), rationes administrationis reddunt.

Poenae (can. 2394): ad 1 et 2. *a) inhabilitas* ad dignitatem, beneficium, officium de quo agitur, l. s.; insuper *indeterminatae* arbitrio Ordinarii.

b) post *monitionem* reus cogitur ab occupatione, regimine, administratione recedere per *suspensionem, privationem* beneficii et officii antea obtenti, imo si opus sit etiam per *depositionem.*

ad 3. *suspensio* ab iure eligendi, nominandi, praesentandi l. s. ad beneplacitum Sedis apostolicae.

Occupatio officii vel *beneficii* proprio arbitrio vel auctoritate laicorum, iam cc. 4, 15, 21, X, 3, 38 interdicta, iterum severe coercita est ultimo saeculo cum in Helvetia et in provinciis Veneta et Mediolanensi parochi, electione populari aut auxilio gubernii, neglecta collatione episcopali, intruderentur. Pius IX declaravit hos poenas bullae *Ap. S.* (I, 11) incurrere. Quoad *electos* et *praesentatos* vero, praeter antiquiores sanctiones in Decretalibus, habebamus const. Pii IX, *Romanus Pontifex,* 28 aug. 1873 (AS VII, 401) quae tum *sese ingerenti* tum *admittentibus* excommunicationem speciali modo reservatam, privationem fructuum beneficiorum aliorumque redituum ecclesiasticorum, inferebat; imo etiam omnibus «qui paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint». Si autem erant *episcopi* suspensionem a pontificalibus et interdictum ab ingressu ecclesiae speciali modo reservata incurrebant.[3]

---

[1] *Pius IX,* constit. *Etsi multa,* 21 nov. 1873 (AS VII, 465); C. C, 23 maii 1874 (AS VII, 702.)

[2] Hoc ex textu canonis admittere debemus, quamvis origo historica et documenta in ipso C. allegata, quibus dispositio innititur contrarium potius suaderent. Animadvertendum est *nominatum* ad episcopatum nondum esse episcopum.

[3] cf. *Hollweck,* §§ 243-245.

4. Conditio essentialis ut officium vel beneficium conferri possit est ut vacet, quia secus ius tertii laeditur.[1] Susceptio *non vacantis* est ipso iure invalida et usurpationi aequiparatur. Qui igitur non tantum collationem talis officii, beneficii vel dignitatis *scienter* acceptat, quae quidem prorsus inefficax est, sed *praeterea* patitur se in eius possessionem immitti, delicti canonici reus est.

Poenae (can. 2395): *a)* inhabilitas perpetua ad illud officium, beneficium, dignitatem;
b) aliae *indeterminatae.*

Hucusque vigebat ius Decretalium quod, praeter inhabilitatem, etiam excommunicationem f. s. minabatur.[2]

106. Delicta cum susceptione connexa. Susceptio officii, beneficii, dignitatis aliquas obligationes secumfert, quae a iure etiam poenis urgentur, quocirca earum dolosa violatio delictum in foro nostro constituit.

1. Nemini conferenda sunt duo officia vel beneficia *incompatibilia,* quae videlicet una simul ab eodem adimpleri nequeunt, aut quorum alterum ad honestam sustentationem sufficit;[3] ideoque, cum superior praesumatur agere ad normam canonum nisi expresse aliud caverit, alterius collatio adducit ipso facto vacationem prioris.[4] Quodsi aliquis nihilominus hoc non dimittat, illegitimus detentor evidenter fit. Ad delictum requiritur *pacifica* novi muneris adepta *possessio* et in retentione *contumacia.* Proinde poenae locus est tantum post *monitionem,* cui intra praefinitum tempus obtemperatum non sit.

Poena (can. 2396): *privatio* utriusque officii vel beneficii, l. s.[5]

2. Promotus ad *cardinalatum* absens a Curia debet in recipiendo bireto rubro iurare se intra annum, nisi legitimo detineatur impedimento, Summum Pontificem aditurum.[6] Delinquit qui hoc *ius iurandum emittere* recusaverit.

Poena (can. 2397): *privatio perpetua* dignitatis cardinalitiae, l. s.

3. Promotus ad *episcopatum,* etiamsi sit Cardinalis, debet intra *tres menses* a receptis apostolicis litteris, nisi legitimo impedimento pro-

---

[1] can. 150, § 1; can. 1413, § 2.
[2] cc. 1 et 7, X. 3, 8.
[3] can. 156, §§ 1 et 2; can. 1439, § 2.
[4] can. 188, 3.
[5] Idem in iure antiquo: c. 28, X. 3, 5 et Conc. Trid. sess. VII, c. 4 de ref. cf. *Hollweck,* § 287.
[6] can. 234.

hibeatur, consecrationem suscipere.[1] Quo termino elapso habetur *primus* gradus culpae; *secundus* si promotus per *aliud trimestre* in eadem negligentia perstiterit.

Poenae (can. 2398): *a) primi* gradus: *privatio fructuum,* l. s. Hi sunt fabricae ecclesiae cathedralis applicandi.
b) secundi gradus: *privatio episcopatus,* l. s.[2]

4. Simili modo delinquit *abbas* vel *praelatus nullius,* qui ex praescripto apostolico vel propriae religionis constitutionibus benedici debet et quin legitimo impedimento prohibeatur benedictionem non recipit.[3] Delictum *unum* gradum habet et adest expletis *tribus mensibus* a receptis litteris apostolicis.

Poena (can. 2402): *suspensio* ab iurisdictione, l. s.

5. Omnes qui aliquod officium, beneficium, dignitatem, munus in Ecclesia consequuntur tenentur emittere *professionem fidei* personaliter coram competenti superiore, reprobata qualibet contraria consuetudine.[4] Formula a Sede Apostolica determinatur, hodie eius partem constituit etiam iuramentum antimodernisticum.[5] Qui hanc obligationem cum *contumacia* negligit, nec causam excusantem habet, est reus delicti. Ut de dolo constet monendus est, praefinitio congruo termino intra quem illam adimpleat, quo transacto puniri potest.

Poena (can. 2403): *a) indeterminatae,* non exclusa *privatione* officii, beneficii, dignitatis, muneris, f. s.
b) privatio fructuum a die adeptae possessionis, l. s.[6]

107. Delicta in demissione. Qui munus ecclesiasticum suscepit obligationem a iure statutam, illud fideliter adimplendi et sine legitimo superioris consensu non dimittendi, simul assumit. Quare ipsa renuntiatio valida non est nisi post *acceptationem* illius auctoritatis quae munus contulit, et renuntians in officio permanere debet donec de ea certum nuntium acceperit.[7] Eo magis contra legem est munus *arbitrio* proprio deserere aut in manus *laicorum* resignare, licet ii patroni aut saeculari dignitate praediti sint. Utraque enim ratio agendi contemptum quoque continet ecclesiasticae auctoritatis. Qui maior adhuc est si quis, e contra,

---

[1] can. 333.

[2] Iam inde a conc. Chalced. (451). Ius vigens perfecte respondet anteriori Conc. Trid. sess. XXIII, c. 2 de ref. cf. *Hollweck,* § 249.

[3] can. 322, § 2. Agitur de abbatibus et praelatis qui territorium habent.

[4] can. 1406-1408.

[5] S. O. 22 mart. 1918 (A. X, 136).

[6] Ita iure antiquo ex decl. C. C. (cf. *Hollweck,* § 250). Non videtur tamen amittere fructus qui ex sola negligentia professionem differt, dummodo spreta monitione *contumax* non fiat.

[7] can. 187, 189, 190.

cum nullum amplius ius habeat in officium aut beneficium, quia illa per legitimam *amotionem* vel *privationem* amisit, tamen in eis detinendis persistat.

Itaque ex violatione canonum circa demissionem officiorum et beneficiorum sequentes species facti criminosae exurgunt:

1. Clericus in sacris qui *munus* ab Ordinario sibi commissum sine licentia *deserere praesumpserit.* Deserere intelligitur ille qui derelinquit cum intentione non amplius reassumendi, quae evidentior erit si clericus ipsam dioecesim egressus sit vel alibi officium acceptaverit. Canon *praesumptionem* postulat, ideo antequam poena infligatur opportuna erit, quamvis absolute non necessaria, *monitio.*

Poena (can. 2399): *suspensio a divinis* temporaria arbitrio Ordinarii, f. s.

2. Clericus qui in *manus laicorum* officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare *praesumpserit.* Resignatio debet esse vera et formalis, licet invalida ex incompetentia acceptantis, sine ignorantia aut metu facta.

Poena (can. 2400): *suspensio a divinis*, nemini reservata, l. s.

Horum delictorum, *primum* a Conc. Trid. sess. XXIII, c. 16 cohibetur, *alterum* iam in Decretalibus (c. 8, X. 1, 9) *privatione* plectebatur, saltem si beneficium deinde a laicis iterum susceptum fuisset.[1]

3. Clericus qui officium aut beneficium, a quo amotus aut quo privatus est, dimittere recusat aut, quin hoc expresse affirmet imo forte intentionem praetendens illud dimittendi, moras sine legitima causa nectit. Ad delictum requiritur imprimis, uti patet, *sententia* vel *decretum* amotionis aut privationis rite pronunciatum et quod transierit in rem iudicatam, deinde *monitio* cum praefixo termino.

Poenae (can. 2401): *a) suspensio a divinis,* f. s.
b) aliae *indeterminatae,* non exclusa *depositione.*

Praeter antiquiores sanctiones ad hanc contumaciam frangendam statutas, habebamus hucusque, quoad parochos, recens decretum C. Cons. *Maxima cura,* c. 29.

IX. DELICTA PER ABUSUM POTESTATIS VEL OFFICII ECCLESIASTICI

108. Abusus potestatis in genere. Publica potestas in ordine sociali tuendo et utilitate tum communitatis tum subditorum promovenda rationem suae existentiae habet; si ad alios fines et praesertim ad privatum commodum magistratuum vel eorum arbitrio et non *secun-*

[1] cf. *Hollweck,* §§ 253-254

dum leges adhibeatur committitur abusus, quem omnes codices cavent,[1] eo magis quia transgressiones superiorum periculosiores et perniciosiores quam aliorum sunt. Unde quaedam actiones, quae a communi homine admissae nullam imputabilitatem afferunt, in eis qui praesunt delicta sunt, delicta vero si abusu auctoritatis perpetrantur fiunt qualificata.[2] Quos praepositorum excessus C. noster *duplici* ordine sanctionum coercet. *Primo* enim in genere *quemcumque abusum* potestatis ecclesiaticae prohibet et delictum esse declarat, sed, pro multiplicitate et varietate casuum qui occurrere possunt, poenam *indeterminatam* relinquit, ita ut iudex possit, sua prudentia, eam gravitati culpae aequiparare (can. 2404). Quare vi huius canonis omnes violationes legum, quae suis locis in C. auctoritatem, competentiam, iura, activitatem ministrorum Ecclesiae, cuiusqumque dignitatis sint, determinant, sub ratione poenali constituit, quatenus ut delicta iam praevisa et speciali sanctione munita non sint.

Deinde vero singulares quasdam species facti recenset eisque suas proprias poenas tribuit.

109. Abusus in actis publicis. Hoc delictum, quod ob maximum eiusmodi documentorum momentum seorsim consideratur, multiplici modo et gradu committi potest. — 1. Gravius est si agatur de documentis *Curiae episcopalis* sede *vacante*.[3] Cuius rei sunt Vicarius capitularis aliive omnes tam de capitulo quam extranei, qui, sive per se sive per alium, quodlibet documentum Curiae *proprium,* non alienum ei forte commissum vel commodatum, e tabulario amoverint *(«subtraxerint»)* aut *destruxerint* (lacerando, comburendo, maculando ita ut non amplius legi possit) *aut* in ipso tabulario e suo loco sustulerint et in alio reconderint ubi inveniri nequeat *(«celaverint») aut* in re principali corruperint *(«substantialiter immutaverint»).*[4] Dolus sane et damnum aliquod ex abusu secutum requiritur.

2. *Secunda* species delicti respicit dumtaxat eos qui *ex officio* tenentur acta vel documenta vel libros *curiarum* et *paroeciarum* conficere, conscribere aut conservare (Vicarius generalis, cancellarius, archivista, parochus, cooperator si ad hoc munus deputatus). Committitur *falsificatione, adulteratione, destructione, occultatione,* si haec pleno illo dolo, qui ad *praesumptionem* postulatur, fiant.

---

[1] CI aa. 175-181; CGa aa. 184-191; CG §§ 331-359; CA §§ 101-105.
[2] can. 2207, 2.
[3] cf. can. 435, § 2.
[4] cf. can. 2362: concursus delictorum.

3. *Tertia* specie rei fiunt eidem ac supra si acta, documenta vel libros hos *legitime* petenti exscribere, transmittere seu exhibere *dolose* detrectaverint aliove quovis modo officium suum prodiderint.

Poenae (can. 2406): ad 1. *excommunicatio simpl.* reservata, l. s. Praeterea Ordinarius *potest* addere *privationem* officii vel beneficii.

ad 2. *privatio* officii, aliaeque *indeterminatae* graves, arbitrio Ordinarii f. s.

ad 3. *privatio* officii vel *suspensio* ab eodem et *mulcta,* arbitrio Ordinarii, facultativae.

Censura l. s. huius canonis *nova* est.

110. Corruptio publici officialis. Si magistratus ecclesiasticus qui officium suum prodit delictum committit, merito imputabilitatem contrahit etiam ille qui eum ad hoc illicitis mediis inducere nititur. Quod delictum aut ut species criminis *falsi aut ut simonia* quo que considerari posset,[1] et procul dubio si alterutrius elementa, intra novi iuris limites, in singulari casu inveniantur, datur concursus delictorum. Corruptio vel corruptionis *conatus,* qui hic reatui consummato omnino par est, eo tendere debet ut actio quaecumque ad negotium *ecclesiasticum* pertinens *contra* legem aut *ponatur* aut *omittatur* a publico officiali in exercitio *sui muneris.* Tales censentur nedum officiales Curiae sed omnes ministri sacri et praeterea iudices, advocati, procuratores in foro nostro.[2] Ad notionem corruptionis spectat ut medium adhibeatur voluntatem *alliciens,* ut sunt omnia pretio aestimabilia *in re* («dona») aut *in spe* («pollicitationes»). Qui vi, metu, fallaciis, suasionibus suum finem consequeretur ex alio titulo esset puniendus. Imputabilitas ex corruptione derivans duplex est: *civilis,* ad reparanda damna si qua illata sint, et *poenalis.*

Poena (can. 2407): *indeterminata.*

In iure Decretalium *generales* sanctiones continebantur contra omnes reos corruptionis, sive active sive passive, et *speciales* contra iudices praevaricatores. Poenae l. s. gravissimae decernebantur, ut depositio, infamia, privatio officii.[3] Praeterea multae constitutiones pontificiae particulares ordines magistratuum et peculiares actus corruptionis magno rigore insectabantur.[4]

111. Excessus in taxis. Taxae ecclesiasticae pro variis actibus iurisdictionis voluntariae, pro executione rescriptorum S. Sedis, pro actibus iudicialibus vel occasione ministrationis sacramentorum et

[1] Prout antiquiores canonistae communiter faciebant. cf. *Hollweck,* § 204.

[2] Relate ad iudices, advocatos et procuratores attendendae sunt quoque sanctiones poenales quae in canonibus agentibus de ordine procedendi continentur. can. 1624, 1625, 1665 1666. Item relate ad partes et testes can. 1755, § 3.

[3] cf. *Hollweck,* §§ 204 et 297.

[4] *Thesaurus,* P. II, v. *Munera; Hinschius,* V, 848.

sacramentalium ubique, saltem consuetudine si nondum lege ut C. praecipit, praefinitae sunt.[1] Eas fideles solvere tenentur in illa certa quantitate et non ultra.[2] Turpis lucri causa eas *augere* arbitrio suo aut praeter eas aliquid *exigere* (tamquam ex iure) est simul actus iniustitiae et abusus potestatis officii. Ob *illum* delinquens tenetur ad restitutionem, ob *hunc* imputabilitatem poenalem huius tituli contrahit. Sanctio gravior manet recidivum.

Poenae (can. 2408): *a)* gravis *mulcta* pecuniaria;
b) in recidivum: *suspensio* vel *remotio* ab officio, f. s.

112. Abusus potestatis occasione ordinationis. Duae species facti huc veniunt. 1. *Vicarii capitularis,* qui concedit *dimissorias* litteras *aut* intra annum a sede vacante iis qui arctati non sunt ratione beneficii recepti vel recipiendi vel ratione *certi* alicuius officii cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum, *aut* etiam post annum sine consensu Capituli; quia in utroque casu limites suae potestatis excedit. At ex hoc titulo *non delinquit,* si concedat ei qui ab episcopo reiectus fuerat.[3]

2. *Superioris religiosi,* qui *praesumpserit* aut subditum ordinandum ad episcopum non dioecesanum, extra casus taxative in iure recensitos, mittere, *aut* in fraudem legis ipsum ad aliam domum transferre, *aut* de industria concessionem dimissorialium ad id tempus differre, quo episcopus vel abfuturus vel nullas habiturus sit ordinationes.[4] Huius delicti, quod subiective *plenum* dolum requirit, rei esse possunt etiam superiores illarum societatum clericalium sine votis, quae privilegio fruuntur concedendi dimissorias propriis alumnis.[5]

Poenae (can. 2409 et 2410): ad 1. *suspensio a divinis* non reservata l. s.;
ad 2. *suspensio a missae celebratione* per mensem l. s.

Limitationem potestatis Capituli et Vicarii capitularis induxit Conc. Trid. sess. VII, c. 10 de r., in violatores poenam *interdicti* indicens. Hucusque controversia erat an ad delictum consummandum oporteret ut litteras accipiens eis usus esset.[6]

In superiores regulares, ex const. Ben. XIV, *Impositi nobis,* 27 febr. 1747, poenae hactenus statutae erant *privatio* officii et vocis activae et passivae.[7]

---

[1] can. 1056, 1234, 1507, 1909.
[2] can. 2349.
[3] can. 958, § 1, 3° et § 2.
[4] can. 965-967 cf. can. 2373 supra n. 94, c.
[5] C. I. 2/3 iun. 1918 (A. X, 347).
[6] cf. *Hollweck,* § 295.
[7] *Wernz,* II, 30, n. 99.

113. Abusus potestatis in regimine religioso. Ultimo loco quaedam species facti in C. circumscribuntur, quae abusum potestatis ex parte superiorum ordinum et congregationum continent. Ubi animadvertere oportet *aequali iure* viros et mulieres uti, nisi ex subiecta materia aliud sit colligendum,[1] proinde quod de illis dicitur his quoque applicandum esse. Itaque poena dignum decernitur:

1. Admittere ad *novitiatum* candidatum *non idoneum,* ex defectu vel unius earum qualitatum quae sive ut valide sive ut licite admittatur necessariae sunt;[2] aut *sine* litteris *testimonialibus* Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, moratus sit ultra annum moraliter continuum, atque si ex seminario, collegio, alia religione provenit etiam rectoris, audito Ordinario, vel superioris maioris.[3] Item admittere ad *professionem* novitium qui aut *non* idoneus aut *dubie idoneus* ad vitam religiosam, expleto experimento, iudicatus est.[4] Illegitima admissione ad novitiatum delinquere possunt etiam superiores societatum *clericalium* sine votis.[5]

2. Impendere *dotes religiosarum,* quae in tutis ac fructiferis nominibus collocatae esse debent usque ad earum obitum, ad quemcumque finem, etiam ad aedificandam domum aut ad aes alienum exstiguendum.[6] Delictum, quod antistarum mulierum ex natura rei proprium est, et omnium quidem etiam exemptarum, exulat si quaecumque doli imminutio in favorem legem transgredientium afferri possit.

3. Omittere *nuncium* de proxima alicuius religiosae admissione ad novitiatum *vel* ad quamlibet, sive temporariam sive perpetuam sive simplicem sive sollemnem, professionem, quod Ordinario loci duobus saltem mensibus ante faciendum est, ut ipse explorare valeat num sciens volens mulier religiosam vitam amplectatur.[7] Etiam hic de mulieribus tantum agitur; et quamvis praesumptio non requiratur certe sine dolo aut gravi negligentia delictum non intelligitur.

Poenae (can. 2411 et can. 2412): ad 1. 2. et 3. *indeterminatae,* non exclusa officii *privatione.*

4. Commune utrique generi, e contra, est delictum quod committunt *frustrantes* ex toto vel ex parte *visitationem* canonicam, quae quinto quoque anno, aut saepius si id constitutiones ferant, a superiore maiore

---

[1] can. 490.
[2] Quae in can. 542 singillatim enumerantur.
[3] can. 544.
[4] can. 572, § 2.
[5] C. I. 2|3 iun. 1918.
[6] can. 549.
[7] can. 552.

vel ab Ordinario loci ad normam iuris facienda est.[1] Delictum comittitur multifarie: *aut* transferendo, sine visitatoris consensu, religiosum religiosamve in aliam domum, *aut* directe vel indirecte, per se vel per alios, eosdem inducendo ut interrogati veritatem taceant, quoquo modo dissimulent, non sincere exponant, *aut* eisdem ob responsa data molestiam sub quovis praetextu afferendo. Altero et tertio modo nedum superiores sed etiam reliqui religiosi religiosaeve delinquere possunt. Visitationi et proinde sanctionibus societates *clericales* sine votis quoque subsunt.[2]

Poenae (can. 2413): *a)* omnibus *inhabilitas* ad officia regiminis f. s.;

b) antistitis *privatio* officii, f. s.

5. Denique delictum est antistarum mulierum *difficultates facessere* suis subditis quae libertate confitendi apud extraordinarium confessarium uti volunt. Hanc libertatem ius in tribus casibus eis concedit: *a)* quando religiosa adire vult aliquem ex sacerdotibus ab Ordinario singulis domibus pro *particularibus casibus* designatis;[3] *b)* quando ad suae conscientiae tranquillitatem cuicumque confessario pro mulieribus approbato *extra domum*, in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico, confitetur;[4] *c)* quando *graviter aegrotat*, etiam extra mortis periculum, cum in talibus adiunctis possit quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum accessere eique confiteri quoties voluerit.[5] Iam vero antistitae *prohibentur* nedum petenti confessarium *negare* sed directe vel indirecte, per se vel per alios, petitionis rationem *inquirere*, verbis aut factis libertatem religiosae in hac re *coarctare*, quavis ratione ostendere se eam *aegre ferre*. Omnibus his modis abusu potestatis delinquunt, et prima vice ab Ordinario *monendae* sunt. Quodsi *recidivae* inveniantur poena plectuntur.

Poena (can. 2414): *privatio* officii et *denuntiatio* ad S. C. de Religiosis.

Haec sanctio deprompta est ex decr. C. de Rel. *Cum de sacramentalibus*, 3 febr. 1913 (A. V, 62) n. 11, ubi tamen privatio officii ab Ordinario nonnisi audita prius Congregatione facienda erat.

---

[1] can. 511-513.
[2] C. I. 2|3 iun. 1918.
[3] can. 521, § 2.
[4] can. 522.
[5] can. 523.

CAPUT V

DE IUDICIIS CRIMINALIBUS

I. DE FORO COMPETENTI

114. Ambitus iudicii criminalis. *Iudicium criminale,* quoad nos, est legitima disceptatio et definitio controversiae, coram tribunali ecclesiastico, in ordine *ad poenam delicti* infligendam vel declarandam (can. 1552). Ex principiis iam expositis [1] notum est Ecclesiam vindicare sibi ius exclusive in suo foro cognoscendi de omnibus delictis mere *ecclesiasticis* cuiuscumque fidelis atque de quolibet prorsus delicto a *persona privilegio fori* fruente admisso; praeterea de delictis *mixtis* quoque si iudex ecclesiasticus laicum praevenerit (can. 1553).

Tamen ipsa natura et finis iudicii poenalis ab eo removet cuncta delicta quae *publica non* sunt, ideoque non modo ea quae in foro externo probari nequeunt, sed etiam quae evulgata vel proxime evulganda esse non constat.[2] Dein voluntas legislatoris excludit certa quaedam *delicta disciplinaria* clericorum (neglectam residentiam,[3] concubinatum,[4] negligentiam parochi in adimplendis suis officiis [5]) quae peculiari ordine procedendi, administrativo modo,[6] sanctionibus plectenda sunt. Porro delicta *mixti fori,* a laicis commissa, practice et pro regula, civili magistratui coercenda relinquuntur, si huius sententia publico bono satis consulit. Denique exulat processus criminalis si datum fuit *praeceptum* cum comminatione, in casu transgressionis, poenitentiae, remedii poenalis, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sive latae sive ferendae sententiae et nihilominus subditus *certo* deliquit (can. 1933).

Imo ex natura tum remedii poenalis tum poenitentiae arguendum est haec infligi posse etiam sine praecedenti comminatione.

115. Ordo competentiae. Iudicium criminale instituendum est, in *prima instantia,* coram tribunali Ordinarii loci ubi reus, licet absens, domicilium vel quasi-domicilium habet, aut si vagus ubi actu commoratur; at praeterea competens est etiam Ordinarius loci ubi patratum est delictum *(f. delicti)* et in concursu ratio habenda est praeventionis.[7]

---

[1] cf. supra nn. 1, 4, 84.
[2] can. 2197, v. supra n. 4.
[3] can. 2381; v. supra n. 98.
[4] can. 2359; v. supra n. 86.
[5] can. 2382; v. supra n. 99.
[6] can. 2168-2185.
[7] can. 1561, 1563, 1566, 1568,

Unicus iudex sufficit in causis minoris momenti; at *collegio trium* iudicantium reservati sunt processus in quibus res est de *privatione beneficii* inamovibilis aut de irroganda vel declaranda *excommunicatione;* collegio *quinque* iudicum illi in quibus agitur de delictis quae *depositionis, privationis* perpetuae habitus ecclesiastici vel *degradationis* poenam important.[1]

In *secunda* instantia ordinarium est tribunal metropolitanum, salvo iure cuiuscumque appellandi ad Sedem Apostolicam. Causae coram Metropolita in primo gradu pertractatae deferendae sunt ad illum iudicem secundae instantiae, quem ipse, semel pro semper, sibi elegit. Tribunalis constitutio eadem esse debet ac in primo processu.[2]

Tertia instantia, nisi peculiares concessiones alicubi vigeant, est semper S. R. Rota, quae iudicat collegialiter per singulos turnos trium auditorum *aut* videntibus omnibus, *aut* etiam, si S. Pontifex id decernat, per turnum numerosiorem.[3]

Quae tribunalia ordinaria tamen *absoluta incompetentia* afficiuntu' in causis criminalibus ipsi R. Pontifici reservatis, videlicet ubi rei sunt: *a)* qui supremum tenent populorum principatum, eorum filii, filiae proximique successores; *b)* cardinales; *c)* legati Sedis Apostolicae et episcopi etiam titulares.[4]

Religiosi societatum clericalium exemptarum sua habent tribunalia, quod tamen non prohibet quominus Ordinarius in eos animadvertat, si extra domum delictum commiserint nec a proprio superiore puniti sint.[5]

116. Promotor iustitiae et defensor. Ad tribunal constituendum praeter iudices ac *notarium* qui actuarii officio fungitur et omnia acta sua manu exarare aut saltem subscribere debet ut valeant,[6] requiritur in criminalibus etiam *promotor,* cuius est iustitiam, legem et bonum publicum tueri.[7] Promotor, ab Episcopo inter sacerdotes integrae famae, in iure canonico doctores vel ceteroqui peritos ac prudentiae et iustitiae zelo probatos, eligendus, *interveniat* necesse est in omnibus stadiis causae ad accusationem sustinendam, eoque non citato acta irrita sunt, nisi ipse, etsi non citatus, revera interfuerit.[8] Ut munere suo recte fungi possit,

---

[1] can. 1576.

[2] can. 1594, 1596. Similis norma pro Ordinario immediate subiecto can. 285 et 1594.

[3] can. 1598, 1599.

[4] can. 1557 et 1558.

[5] can. 501, 1579, 1594, 616.

[6] can. 1585.

[7] can. 1586: Instructio C. Epp. et Reg. 11 iun. 1880, *de modo procedendi oeconomice* in causis discipl. et crimin. a. 13 (AS XIII, 324); *Heiner,* De processu criminali ecclesiastico, Romae 1912, 17ss.: *Gennari,* Sulla privazione del benef. eccl. e sul processo criminale dei chierici³; Roma 1905, 150ss.; *Lega,* o. c. IV, p. 198ss.

[8] can. 1589 et 1587.

ius eius est examini partium, testium, peritorum adesse, documenta exhibere vel exhibita recognoscere, animadversiones et probationes contra reum scribere et allegare, cuncta acta processus invisere, novos terminos postulare, alios testes inducere, uno verbo ea omnia facere et a tribunali exigere quae ad legis tutelam ei utilia et opportuna videntur.[1]

Animadvertendum est etiam «in iudicio criminali reum aut a se electum aut a iudice datum semper *habere* debere *advocatum*».[2] Unde si ipse renuat aut nequeat sibi constituere defensorem, ex officio aliquis nominandus est. Defensor ius habet caute hauriendi notitiam actorum processus, interveniendi in causa, defensionem exhibendi in scriptis, in disputatione ultimus loquendi.[3] Advocatus quoque, uti omnes reliqui qui in huiusmodi processibus partem habent, tenetur obligatione secreti.[4]

Antiquus processus criminalis, in foro nostro ut etiam in iure Romano, erat *accusatorius* ex actione *populari*. At cum paulatim privati homines, desidia timore vel malitia, accusare negligerent, ne crimina manerent impunita, substitutus est modus procedendi ex officio cum iudicis *inquisitione*. Cuius novae formae initia iam saec. IX habemus, eam authentice confirmavit et accuratius determinavit Innoc. III in Conc. Lat. IV, c. 8 = c. 24, X. 5, 1. Cum autem conveniens videretur devitare vel speciem suspicionis, eamdem personam et iudicis et accusatoris partes agere, mature locum obtinuit inquisitio cum *prosequente* vel *promovente*, quod munus publice accusandi habuerunt ab initio *testes synodales*, serius etiam speciales magistratus. Institutum transiit in ius saeculare, praesertim in Gallia, ubi saec. XIII inveniuntur primi procuratores regii. Denique expolitum et in modernam formam redactum ubique receptum est, atque promotoris fiscalis officium, uti olim dicebatur, tum in Curia Romana tum apud multas curias dioecesanas, sin iure communi iure consuetudinario, ordinarium factum est. Quod Instructio d. d. 11 iun. 1880, art. 12 omnibus curiis proposuit; C. nunc expresse iubet.[5]

Animadvertendum est promotorem iustitiae, secundum C. nostrum et optimos codices civiles, quamvis persona necessaria sit in processu, omnino *partibus* esse adnumerandum.[6]

II. DE CRIMINALI ACTIONE

117. Denuntiatio. Ex delicto oritur *duplex* actio, civilis et poenalis.[7] At dum *illa* cuique fideli legitimum interesse habenti patet, *haec*

---

[1] Analogice ex can. 1968 et 1969, qui agunt de *defensore vinculi*. — Neque abs re erit revocare verba S. Caroli Borromaei: «Meminerint vero illi procuratores veritatis esse, et non debere sub eius clypeo innocentes opprimere vel aliter esse in causa cur quis calumniis fatigetur. Nullam causam promoveant super quocumque crimine, quam iudicaverint esse calumniosam, sed cum primum de calumniis constiterit, vel de rei innocentia, ab illa desistant». (Acta Eccl. Mediol. P. IV, de officio Prom. fisc.).

[2] can. 1655, § 1.

[3] Instruc. cit. aa. 31, 32, 35; *Lega*, IV, p. 316 ss.

[4] can. 1623, § 1.

[5] cf. *Wernz*, V, 187; *Lega*, I, 131 ss.; IV, nn. 137 ss.

[6] Secus ac in iure gallico ubi procurator nimiam et independentiae iudicum perniciosam potestatem habet.

[7] can. 2210.

exclusive reservatur, moderno iure, promotori iustitiae.[1] Hic autem, ut procedat, habere debet fundatam notitiam et saltem probabilia argumenta admissi delicti, quae, nisi agatur de notorio crimine, ei derivare possunt ex *denuntiatione,* ex *querela* partis laesae, ex *inquisitione* speciali Ordinarii. *Querela,* quae est species denuntiationis intendens privatam indemnitatem et satisfactionem per poenam reo inflictam, requiritur semper in causa iniuriarum, si excipias casum gravis iniuriae vel diffamationis *aut* a clerico religiosove *aut* in clericum vel religiosum, praesertim in dignitate constitutum, illatae, in quo etiam ex officio actio criminalis institui *potest.*[2]

Denuntiatio succedit in locum antiquae accusationis privatae et cuilibet fideli competit, sive *facultative* ad satisfactionem petendam vel damnum sibi resarciendum (querela) vel etiam studio iustitiae (*denuntiatio* sensu proprio), sive ex *obligatione* quotiescumque ad id quis adigitur lege aut peculiari praecepto aut ipso naturali iure ob fidei, religionis periculum vel aliud imminens publicum malum[3]. Denuncians, cum pars in causa futurus non sit, non assumit quidem onus probandi, at nihilominus tenetur promotori iustitiae adiumenta suppeditare ad delicti probationem. Insuper ex honesta intentione ipse agat oportet, unde nihili faciendae sunt denunciationes quae ab inimico manifesto aut ab homine vili et indigno proveniunt, cum illae ex odio hae ex turpi causa derivare, utraeque mendaces esse praesumantur. Eiusdem generis habentur pro regula etiam anonymae, licet interdum si verisimilia adiuncta et elementa afferant inquisitionis occasionem praebere possint, sed denuntiatio fieri debet Ordinario, cancellario, vicario foraneo, parocho, *vel* scriptura subsignata *vel*, si oretenus, scriptis statim consignanda.[4]

Procedura per *accusationem,* quae olim tanti momenti fuit et hucusque admissa erat ideoque etiam a recentioribus canonistis exponebatur,[5] nunc penitus a iure exulat. Unde si quis criminis vindictam promovere vult, nonnisi per denuntiationem id assequi potest.

118. Inquisitio. Cum temeraria et praeceps instaurata procedura criminalis gravem afferat iniuriam et damnum accusato eique etiam ius reparationem exigendi tribuere possit,[6] caute est procedendum quotiescumque

---

[1] can. 1934.

[2] can. 1938 et 1618.

[3] can. 1935. Olim denunciandi erant haeretici, de haeresi suspecti, confessarii sollicitantes vel exigentes a poenitente revelationem nominis complicis, coryphaei sectae massonicae. *Hodie* dumtaxat clerici vel religiosi nomen dantes sectae massonicae (can. 2336, § 2) et sollicitantes (can. 2368, § 2).

[4] can. 1937, 1942, § 2, 1936.

[5] cf. *Wernz,* V, 818 ss.; *Lega,* IV, 131 ss.; *Heiner,* p. 36 ss.

[6] cf. *Wernz,* V, 823.

et de delicto *et* de delinquente *certa* notitia non habeatur, atque apta media adhibenda sunt ut de utroque constet seu. uti dicunt, ut «basis facti criminosi» constituatur.[1] In hunc finem intendit *inquisitio*, cui locus est quando delictum innotuerit (sine omnimoda certitudine) sive ex rumore et publica fama, sive ex denuntiatione, sive ex querela damni, sive ex inquisitione generali ab Ordinario facta, sive alia quavis ratione.[2]

a) Haec inquisitio est *specialis,* qua, praecedentibus indiciis, superior indagat num *certum* delictum a *certa* persona forte patratum fuerit et quaenam huius rei probationes prostent. Idque sive agatur de poena irroganda sive de iam incursa declaranda.[3] Distinguitur igitur a *generali,* quae est investigatio ordinaria a superiore ex officio suo vigilandi et nulla peculiari causa moto facta, an in genere in loco vel dioecesi leges observentur, crimina committantur, suspicio contra aliquem existat.

b) Inquisitionem *iubere* competit Ordinario, cuius prudentiae committitur iudicare an ratio sufficiens eiusdem instituendae in casu adsit; inquisitionem *peragere* autem ipsum non convenit, sed huic negotio deputandus est, toties quoties et ad unam causam, iudex synodalis, qui tamen in eadem causa nequit deinde iudicare, *aut,* si aliquid speciale obstet, alia idonea persona.[4]

Inquisitor tenetur iisdem obligationibus quibus iudices ordinarii, ac praesertim praestare debet *iusiurandum* de secreto servando deque officio fideliter implendo et abstinere ab accipiendis muneribus.[5]

c) Inquisitio *secreta* esse debet et cautissime ducenda, ne rumor delicti diffundatur, neve bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur. Intra hos limites omnibus licitis mediis ad detegenda et colligenda ea cuncta quae ad rem faciunt inquisitor uti potest et debet, praesertim *testes* audire, delato eis iuramento veritatis dicendae et secreti servandi. Testes examinandi sunt, ad normam iuris, interrogationibus quae a generalibus personae adiunctis ad factum ipsum de quo inquiritur gradatim procedant, non captiosis, non subdolis, non responsiones suggerentibus. Responsiones ex continenti scripto redigendae sunt et ab examinato subscribendae.

Antequam inquisitionem claudat, inquisitor potest promotoris iustitiae consilium exquirere quoties in aliquam difficultatem inciderit, et cum eo acta communicare.[6]

---

[1] Instruct. cit. a. 15; can. 1939, § 1.
[2] can. 1939, § 1.
[3] can. 1939, § 2.
[4] can. 1940, 1942, § 1, 1941, §§ 1 et 3.
[5] can. 1941, § 2.
[6] can. 1943, 1944, 1774, 1775, 1945.

d) Exitus inquisitionis potest esse *aut* praesumpto reo *favorabilis,* ita ut appareat imputationem delicti nullo solido fundamento inniti, cum deficiat sive elementum obiectivum sive subiectivum; *aut* eidem *contrarius* quia certa vel saltem probabilia et sufficientia argumenta eius culpae collecta sunt; *aut* denique *dubius* si indicia quidem sed nondum sufficientia habentur. Si *primum* acta reponuntur in secreto Curiae archivo cum congrua adnotatione; si *tertium* itidem et interea vigilandum est in moribus imputati qui etiam, si id opportunum videatur, audiri potest et *canonice* moneri; si *alterum* ulterius proceditur ad correptionem vel ad iudicium criminale.

Quae omnia *decreto* Ordinarii, postquam relationem inquisitoris cum eius voto accepit, statuenda sunt.[1]

Inquisitio quae inde ab Innoc. III, loco accusationis, ordinarius modus procedendi in causis criminalibus evasit, iure Decretalium erat verus actus iudicialis, qui sollemniter fiebat, non provisio aliqua potius administrativa prouti hodie est. Unde, quamvis in nomine conveniant, essentiale *discrimen* inter anquam et modernam inquisitionem intercedit. Illa publica erat et necessario praerequirebat *diffamationem,* ab ipso iudice instituebatur, totius processus partem praecipuam efformabat. *Haec* secreto modo fit, occasione cuiuscumque fundatae notitiae, est extra-iudicialis et tantum informativa pro Curia, potest inservire ad sanctiones etiam mere administrativas vel praeventivas, et si interdum iudicio criminali causam dat eius partem tamen non constituit.[2] Quae nova notio inquisitionis iam antea praeformata, suam authenticam confirmationem obtinuit in Instruct. 1880, aa. 5 et 11. De speciali inquisitione contra *haereticos* v. supra n. 58.

III. DE MEDIIS VITANDI IUDICIUM CRIMINALE

119. Extinctio actionis. Quamvis publice utile sit ut delicta iusta poena plectantur, tamen in qualibet societate legislator sollicitus est ut iudicia criminalia, ubi damnum non sequitur aut aequitatis ratio aut maius bonum id postulat, devitentur et alio modo iustitiae et ordini sociali caveatur. Quod eo magis mansuetudini et supernaturali fini Ecclesiae convenit. Unde non semper statim ac de delicto et de auctore constat processus instituendus est. Canones enim casus statuunt in quibus actio poenalis *suspenditur* vel *extinguitur*: alios in quibus simplex *correptio* ordinariae procedurae est sufficienda.

a) Actio *suspenditur*, ex ipsa naturali aequitate, si reus non potest se defendere ob supervenientem temporariam *amentiam,* cui aequiparandus videtur quivis *gravis morbus.* Deinde pendente *quaestione prae-*

[1] can. 1946.

[2] cf. *Wernz,* VI, 847, n. 199; *Heiner,* p. 99.

iudiciali, ex. gr. validitatis matrimonii si quis accusatur bigamiae; validitatis ordinationis si agitur de matrimonio sacrilego; veritatis facti ignominiosi si qui illud alteri obiectavit calumniae arguitur.[1]

b) Actio *extinguitur* morte rei, condonatione, praescriptione.[2] *Mors* tamen, dum finem prorsus ponit cuique persecutioni criminali, non perimit actionem civilem ex delicto, contra heredes experiendam.[3] *Condonatio* a parte laesa in sola causa iniuriarum efficax est, nec ceteroqui admittitur in criminalibus *transactio;*[4] in reliquis delictis ut unius publicae auctoritatis est ea insectari ita huius tantum actioni renuntiare. Hoc est institutum *abolitionis,* qua processus aut non inchoatur aut inchoatus in quocumque stadio interrumpitur et reus a ratione reddenda liberatur. Abolitio potest esse aut *generalis* pro omnibus aut *specialis* pro certis accusatis et, cum sit praegorativa principis, legitimam potestatem eam concedendi, in delictis iuris communis, non videtur habere nisi S. Sedes, reservata episcopis libertate non applicandi poenas facultativas atque dissimulandi etiam delicta graviora si rationes gravis momenti interdum id suadeant.

Abolitio, iuri Romano haud ignota,[5] in omnibus modernis codicibus continetur,[6] atque iure quoque nostro, saltem aequivalenter quamvis non expressis verbis, hucusque vigebat. Imo canonistae amplam *episcopo* tribuebant facultatem, in modo procedendi per inquisitionem ex officio, concedendi abolitiones *speciales.*[7]

Quae tam absoluta potestas non videtur hodie amplius sustinenda, cum iam integra materia criminalis iure communi ordinata sit; tamen semper Ordinarii erit videre quomodo etiam in persequendis delictis maximum *animarum* bonum attingat.

120. Praescriptio. Quod in abolitione positivus actus voluntatis principis, operatur in *praescriptione* lapsus temporis, ex generali dispositione legis et sub conditionibus ab hac determinatis. Cuius instituti iuridici fundamentum in eo quaerendum est quod, post longum tempus, *nec* delictum, pene obliterata memoria, ordinem publicum amplius perturbare videtur, *nec* eiusdem probatio accusatori refutatio accusato facilis et sine periculo evadit. Unde naturali aequitati et bono publico omnino conforme est ut, elapso certo intervallo, actio criminalis non urgeatur, imo ut perempta consideretur.

---

[1] cf. *Wernz,* V, 764.
[2] can. 1702.
[3] cf. supra n. 26; *Wernz,* V. 766; VI, 82; CI aa. 85 et 102; CGa instr. a. 2; CA § 224.
[4] can. 1927, § 1.
[5] Huc pertinet *intercessio* principis et *abolitio.* cf. *Ferrini,* o. c. 326ss. et 338ss.
[6] cf. CI aa. 86-87.
[7] *Wernz,* V, 773; *Lega,* IV, 184ss.; *Heiner,* p. 99.

Praescriptionem C. noster diserte agnoscit et sancit uti normam *iuris obiectivi,* quae per se agit etiam independenter a voluntate aut ab actu quodam rei, cuius effectus proinde ex officio declarandi sunt;[1] atque sequenti modo eam determinat:

a) Praescriptio *currit* a die *patrati delicti,* sive publici sive occulti et serius tantum cogniti, vel si delictum habet *tractum successivum* a die quo delicti tractus cessavit. At in delicto *habituali* vel continuato non decurrit nisi *post ultimum actum,* et si reus conveniatur antequam hic praescriptus sit de antiquioribus quoque, quamvis forte praescriptis, respondere tenetur.[2]

b) Praescriptio *interrumpitur* citatione legitime peracta;[3] a fortiori sequentibus actibus iudicialibus et praesertim damnatione in contumacia. Interruptio nedum impedit ne terminus currat ulterius, sed destruit etiam praeteritum. At nihil prohibet quominus post interruptionem denuo incipiat.

c) Termini legales, pro diversitate delictorum, varii sunt: 1. in delicto iniuriarum *unus* annus; 2. in delictis *qualificatis* contra VI et VII divinum praeceptum *quinquennium*; 3. in delictis simoniae et homicidii *decennium*; 4. in reliquis omnibus *triennium,* exceptis delictis contra fidem, quae pertinent ad S. Officium et specialibus regulis reguntur.[4]

d) Peremptio actionis poenalis nullo modo praeiudicat actioni civili damnorum, neque iuri et obligationi Ordinarii decernendi necessarias provisiones administrativas.[5]

e) Praescriptio *poenae inflictae* in nostro iure non habetur.

Romani institutum praescriptionis, quod in origine pertinebat ad ius civile et privatum, aevo imperiali ad actionem poenalem contra quaedem delicta (l. Iulia de adulteriis, de peculatu) transtulerunt.[6] Quod serius fere ad omnia crimina, paucis exceptis, extensum est. Ius *canonicum* expressam legem illud admittentem non habebat: complures doctores, revocantes principium ius Romanum esse canonici subsidiarium, studuerant quidem praescriptionem in forum quoque ecclesiasticum introducere at norma certa et indubia desiderabatur.[7] Demum per decretum Congr. Epp. et Reg. in causa *Lublinen.* 22 mart. 1898 (AS XXX, 677 ss.) *authentice* sed *imperfecte* praescriptio recepta est. Termini longiores erant, com-

---

[1] can. 1702 et 2233, § 1. cf. CI a. 99 et *Wernz,* V, 770, n. 17.

[2] can. 1705.

[3] can. 1725, 4°. — Canon est generalis et proinde etiam praescriptionem actionis poenalis respicit. Alii (cf. *Wernz,* V, 770, n. 22) voluerunt eam interrumpi dumtaxat per sententiam, at neque codices civiles hoc universim admittunt.

[4] can. 1703 et 1555, § 1.

[5] can. 1704 et 2222, § 2.

[6] *Ferrini,* 341 ss.

[7] *Wernz,* V, 768 ss,; *Lega,* IV, 187 ss.

plura delicta prorsus exclusa, dies a quo in criminibus totaliter occultis incipiebat a momento quo nota fiebant accusatori vel inquisitori, denique, quod maxime incongruum, dumtaxat ut *exceptio* a reo opponi poterat, secus nihil valebat. Quae mendae omnes a C. sublatae sunt.

121. Correptio iudicialis. Formalis processus criminalis vitatur etiam, in *delictis minoribus*, per usum *correptionis,* quae summario ordine procedendi loco poenae ordinariae infligitur, ubi certae conditiones a iure determinatae concurrant. Correptio est verum *medium iuridicum,* quod induit rationem poenae, in casibus taxative definitis, legitima forma est inferendum, et effectus producit tum in praesens tum in futurum; nihil igitur ei commune est cum correptione *paterna* vel *administrativa*, quae quovis aptiore modo a superiore fieri potest. Imo ipsa correptio quae est *remedium poenale* ab hac saltem inadaequate distinguitur.[1] *Neque* medium est *facultativum,* sed obligatorium ex parte Ordinarii, qui nequit submittere criminali iudicio reum qui ius habeat fruendi beneficio huius mitioris sanctionis.

a) *Prima* conditio est ut reus delictum *confessus* sit, ideoque nulla necessitas amplioris probationis existat.

b) *Altera* ut non agatur de delictis quibus adnexa est poena *excommunicationis* specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservatae, aut *privationis* beneficii, *infamiae, depositionis, degradationis*, aut de delictis poena *latae sententiae* perculsis, quae declaratione tantum indiget.

c) *Tertia* ut non obstet ratio boni publici, propter quod Ordinarius existimet reparationi scandali et restitutioni iustitiae necessarium omnino esse formalem processum.

d) *Quarta* ut non iam semel et iterum contra *eumdem* reum et propter *idem* delictum adhibita sit. Quare recidivus *specificus* post alteram correptionem tribunali remittendus est.[2]

e) Quodsi interposita est *querela* damni ex delicto, haec non impedit correptionem; sed Ordinarius, ubi nequeat de bono et aequo partes consentientes componere, quaestione de damnis actioni civili dimissa, nihilominus actioni poenali per correptionem finem ponere potest.[3]

f) Datis conditionibus, correptio nedum ante processum sed etiam eo incoepto usque ad conclusionem in causa adhiberi potest.[4]

---

[1] cf. supra n. 55.
[2] can. 1947, 1948, 1949.
[3] can. 1951.
[4] can. 1950.

g) Qua forma facienda sit iam diximus (supra n. 55). Praeter *monita* salutaria debet plerumque coniuncta habere quaedam opportuna *remedia*, aut *poenitentiarum* vel *piorum operum* praescriptionem, quae valeant ad publicam reparationem laesae iustitiae aut scandali; at sane *leviora* ac poenae ordinariae quae delictum in rigore iuris mereretur.[1]

h) Effectus correptionis est ut processus *aut* non instituatur *aut* institutum suspendatur. Dummodo tamen *in irritum* non cesserit, quod retinendum est si reus remedia, poenitentias et pia opera sibi praescripta *non acceptat* aut acceptata *non exequitur*. Quo in casu actio criminalis reviviscit et ad processum est statim procedendum.[2]

Usus *correptionis* loco poenarum, cuius vestigia iam in iure Romano exstant,[3] ex antiquissimis Ecclesiae traditionibus derivat et apprime respondet eius fini et naturae. Proinde sive in Decretalibus sive praesertim in Conc. Trid. lata tribuitur episcopo facultas *castigandi* et *corrigendi*, tum in visitatione dioeceseos tum etiam extra ipsam, procedendo paterno et non iudiciali modo: atque contra huiusmodi provisiones non datur appellatio. Quae normae, recentiore tempore, nonnisi relate ad mores et opera *clericorum* applicatae sunt et ad *disciplinares* transgressiones limitatae.[4]

Itaque correptio *iudicialis*, prout hodie eam in C. habemus, clericis laicisque communem, sollemniter inferendam, poenae ordinariae taxative suffectam, est novum institutum iuridicum quod, licet radices omnino canonicas habeat, in sua moderna forma similes leges codicum civilium revocat. Ita, ut alibi etiam hic, videmus Ecclesiam reassumere quod saeculares legislatores ab ea mutuati sunt.[5]

IV. DE IPSO PROCESSU

122. Normae generales. Causae criminales, in genere, eodem ordine procedendi ac causae contentiosae in foro pertractandae sunt, dum promotor iustitiae partes actoris, accusatus rei sustinet. Unde, nisi in quibusdam expresse aliud cautum sit, canones libri IV. C. sunt servandi et series actorum iudicialium secundum ibi traditas regulas disponenda.[6]

Libellum accusationis conficere debet promotor iustitiae, iussus ab episcopo vel ab officiali mandato speciali praedito,[7] atque iudici exhibere in forma iuris, simul cum omnibus probationibus in inquisitione speciali collectis. Deinde, reo citato et praevie audito, gradus fit ad *contestationem*

---

[1] can. 1952.
[2] can. 1950, 1953, 1954.
[3] l. 4, D. 1, 15; l. 19, C. 2, 12; cf. *Ferrini*, 46 ss.
[4] c. 1, in VI. 3, 20; Conc. Trid. sess. XXIII, c. 4 de ref., sess. XXIV, c. 3 de ref. etc.; *Wernz*, V, 878 ss.; *Lega*, IV, 278 ss.; *Heiner*, 85 ss.
[5] cf. *Atti ufficiali* al Codice penale italiano et CI aa. 26-27.
[6] can. 1959.
[7] can. 1954, 1955.

facti criminosi (c. litis), in qua ei omnia obiiciuntur quae suadent ipsum criminis esse auctorem, et ulterius, si delictum confiteri nolit, ad eiusdem probationem. Ad quam solita media inserviunt: interrogatoria accusati, testes, periti, instrumenta, accessus et recognitio iudicialis. Ubi notandum est nefas esse deferre accusato iusiurandum de veritate dicenda, testibus vero et reliquis qui causae intersunt etiam secreti servandi deferri *posse.*[1] Facta *notoria* vel ab ipsa lege praesumpta (ut puta concubinatus) probatione non indigent.[2]

Uti patet accusato ius est *sese,* cum personaliter tum auxilio advocati, pro viribus *defendendi,* testes introducendi, causas excusantes proferendi, et etiam postulandi terminum praefinitum ad scriptam defensionem exhibendam.[3]

Concluditur in causa, decreto iudicis, postquam utraque pars omnia quae afferenda habebat proposuit et acta, etiam quae hucusque secreta, *publicata* sunt, concessa partibus earumque advocatis facultate ea inspiciendi petendique eorum exemplar.[4] Sequitur causae *discussio,* quae sive scriptis allegationibus et conclusionibus sive orali quoque disceptatione fieri potest,[5] et denique profertur *sententia.* Quae condemnatoria esse nequit nisi iudex *moralem certitudinem* culpae accusati sibi comparaverit ex actis et probatis *in processu;* hanc si non habeat iudex debet absolvere.[6]

Appellatio intra decendium a publicata sententia interponenda est. Qui peremptorie citatus coram tribunali non comparuit declaratur *contumax* et absens iudicatur; ipse amittit etiam ius appellandi.[7]

123. Normae peculiares. Interdum in criminali processu oritur necessitas statim cavendi quaedam *incommoda* et *pericula,* quae ratione boni publici et incorruptae iustitiae omnino impedienda sunt, nec moram patiuntur. Quapropter ius Ordinario et iudici confert potestatem edendi *decreta* provisoria, quae naturam poenarum non habent ideoque nec appellationem admittunt nec recursum, sed omnino servanda sunt. At palam est neutrum posse *ex arbitrio* agere, sed solummodo quando, omnibus bene perpensis, adiuncta causae et personae eos persuasos reddunt decreta esse omnino necessaria. Insuper oportet ea, ne specie quidem, videri *aut* integri adhuc hominis famam apud populum praepropere laedere *aut*

---

[1] can. 1744, 1623, §§ 1 et 3, 1769; Instruct. cit. aa. 18 et 32.
[2] can. 1747.
[3] cf. instruct. cit. aa. 27 et 28.
[4] can. 1858, 1859, 1860.
[5] can. 1862, 1863, 1866; cf. instruct. aa. 34-35.
[6] can. 1869.
[7] can. 1881, 1842, 1844, 1880.

praeconceptam in iudice contra eum mentem ostendere, quod esset si iam ante incoeptum processum ederentur.

Quare ius praecipit ut non ferantur nisi postquam aliqua cognitio actorum acquisita et accusato occasio respondendi et suas rationes exponendi data est, scilicet *post citationem* et primam eius auditionem si comparuit, vel post declaratam contumaciam si non comparuit. Ceterum etiam in decursu processus necessitas exurgere potest.[1]

a) Decretum Ordinarii prospicit scandalo. Si enim censet non sine fidelium offensione imputatum *gravioris* delicti, dum causa eius agitur, posse *in sacris ministrare* aut *officio* aliquo spirituali ecclesiastico vel pio fungi, aut etiam ad communionem *publice* accedere, potest, audito promotore iustitiae, ab his omnibus eum prohibere, donec aut innocens probetur aut sua poena sententia plectatur.[2]

b) Iudex vero providet collusionibus et aliis illicitis mediis quibus administratio iustitiae turbatur. Itaque si periculum est ne accusatus *testes* aut subornet aut perterrefaciat vel alio modo iustitiae cursum *impediat*, potest, audito item promotore iustitiae, iubere ut ille ad tempus deserat oppidum vel paroeciam quandam aut etiam ut secedat in praefinitum locum ibique sub peculiari vigilantia maneat.[3]

Tam prohibitio quam praescriptio commorandi in certo loco sunt, uti vidimus, etiam poenae vindicativae; sed hic naturam habent dumtaxat *mediorum processualium* et respondent carceri praeventivo in foro civili. Si locus relegationis sit in dioecesi aliena, certe attendenda est norma can. 2301.[4]

---

[1] can. 1958.
[2] can. 1956 et can. 2222, § 2.
[3] can. 1957.
[4] v. supra n. 51

CONSPECTUS

CENSURARUM LATAE SENTENTIAE

QUAE IN C. I. C. CONTINENTUR

I. EXCOMMUNICATIONES

a. Sedi Apost. specialissimo modo reservatae.

1. Species consecratas abiicientes vel abducentes aut retinentes (can. 2320) . . . . . vide n. **61**, 1
2. Violentas manus iniicientes in personam Rom. Pontificis (can. 2343, § 1) . . . . . n. **75**
3. Absolventes vel fingentes absolvere complicem (can. 2367) » n. **90**
4. Sigillum sacramentale directe violantes (can. 2369, § 1). . » n. **92**
5. Censurae ex violatione legum pro electione R. P. (can. 2330) » n. **68**

b. Sedi Apost. speciali modo reservatae.

1. Apostatae, haeretici, schismatici (can. 2314, §§ 1—2) . . . » nn. **57-58**
2. Horum libros edentes, defendentes, legentes, detinentes (can. 2318, § 1) . . . . . » n. **60**, 2
3. Non sacerdos missae celebrationem simulans aut sacramentales confessiones excipiens (can. 2322, § 1) . . . . . » n. **62**, 1-2
4. Appellantes ad Concilium oecumenicum (can. 2332) . . . » n. **69**, 3
5. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras apostolicas; ex eadem causa laedentes et perterrefacientes (can. 2333) . . . . . » n. **70**, 1
6. Edentes leges, mandata contra libertatem et iura Ecclesiae; impedientes exercitium iurisdictionis ecclesiasticae (can. 2334) » n. **70**, 2-3
7. Trahentes ad forum saeculare Cardinalem, Legatum, Officialem maiorem Curiae Romanae, Ordinarium proprium (can. 2341) » n. **74**
8. Violentas manus iniicientes in personam Cardinalis, Legati, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi (can. 2343, § 2) . . . » n. **75**
9. Usurpantes et detinentes bona aut iura Ecclesiae Rom. (can. 2345) . . . . . » n. **78**
10. Fabricatores, falsarii actorum Sedis Apost., iisdem utentes (can. 2360) . . . . . » n. **87**, 1
11. Falso denuntiantes sollecitationis confessarium (can. 2363) . » n. **88**

c. Sedi Apost. simpliciter reservatae.

1. Quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327) . . . . . vide n. **67**, 4
2. Nomen dantes sectae massonicae vel aequivalenti (can. 2335) » n. **71**
3. Absolventes ab excommunicatione specialissimo vel speciali modo reservata (can. 2338, § 1) . . . . . » n. **73**, 1
4. Impendentes auxilium vel favorem vitando; clerici cum eodem communicantes aut eundem in divinis recipientes (can. 2338, § 2) . . . . . » n. **73**, 2-3
5. Trahentes ad iudicem laicum episcopum, abbatem, praelatum (can. 2341) . . . . . » n. **74**
6. Clausuram monialium violantes (can. 2342, 1) . . . . . » n. **77**
7. Clausuram regularium virorum violantes (can. 2342, 2) . . » n. **77**
8. Moniales clausuram egredientes (can. 2342, 3) . . . . . » n. **77**
9. Usurpantes bona ecclesiastica (can. 2346) . . . . . » n. **78**
10. Duellum perpetrantes, complices et fautores (can. 2351) . » n. **80**, 3
11. Clerici et regulares matrimonium contrahentes, compartes (can. 2388, § 1) . . . . . » n. **102**
12. Simoniam perpetrantes in officiis, beneficiis, dignitatibus (can. 2392) . . . . . » n. **104**
13. Documentum Curiae episcopalis, sede vacante, subtrahentes, destruentes, celantes, corrumpentes (can. 2405) . . . . . » n. **109**

d. Ordinario reservatae.

1. Catholici matrimonium ineuntes coram ministro acatholico; paciscentes ut proles educetur extra ecclesiam catholicam; liberos acatholico ministro tradentes baptizandos; aut tradentes in religione non catholica instituendos (can. 2319, § 1) . . . . . » n. **60**, 4-7
2. Falsas reliquias conficientes, vendentes, distribuentes, exponentes (can. 2326) . . . . . » n. **66**, 2
3. Violentas manus iniicientes in clericum religiosumve (can. 2343, § 4) . . . . . » n. **75**
4. Procurantes abortum effectu secuto (can. 2350, § 1) . . . » n. **80**, 1
5. Apostatae a religione laicali vel non exempta (can. 2385) . » n. **101**
6. Matrimonium contrahentes post professionem simplicem (can. 2388) . . . . . » n. **102**

e. Nemini reservatae.

1. Auctores et editores sacram Scripturam imprimentes sine licentia (can. 2318, § 2) . . . . . » n. **60**, 2
2. Cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae infidelem, apostatam, haereticum, schismaticum, excommunicatum, interdictum (can. 2339) . . . . . » n. **73**, 6
3. Alienantes sine beneplacito apostolico (can. 2347, 3) . . . » n. **79**
4. Cogentes virum ad amplectendum statum clericalem, virum vel mulierem statum religiosum (can. 2352) . . . . . » n. **81**, 1
5. Omittentes sollicitationis denuntiationem (can. 2368) . . . » n. **91**

II. INTERDICTA

a. Sedi Apost. speciali modo reservatum.

1. Personae morales ad Concilium universale appellantes (can. 2332) . . . . . vide n. **69**, 3

b. Ordinario reservatum.

1. Sepulturam donantes infidelibus, apostatis, haereticis, schismaticis, excommunicatis, interdictis (can. 2339) . . . . . » n. **73**, 6

c. Nemini reservata.

1. Celebrantes vel celebrari facientes in locis interdictis; admittentes ad divina celebranda clericos excommunicatos, interdictos, suspensos (can. 2338, § 3) . . . . . » n. **73**, 4
2. Causam dantes interdicto locali vel interdicto in communitatem (can. 2338, § 4) . . . . . » n. **73**, 5

III. SUSPENSIONES

a. Sedi Apost. reservatae.

1. Consecrantes episcopum sine apostolico mandato (can. 2370) » n. **94**, 1
2. Simoniace ordines recipientes; alia sacramenta ministrantes vel recipientes (can. 2371) . . . . . » n. **93**
3. Praesumentes ordines recipere ab excommunicato, suspenso, interdicto, apostata, haeretico, schismatico (can. 2372) . . » n. **95**, 2
4. Ordinantes alienum subditum sine litteris dimissoriis, aut proprium sine testimonialibus vel sine titulo, aut religiosum alienae dioeceseos (can. 2373) . . . . . » n. **94**, 2-5
5. Religiosus in sacris, cuius professio eius dolo invalida declarata fuerit (can. 2387) . . . . . » n. **101**, 3
6. Capitula, conventus et alii admittentes electum, praesentatum, nominatum non exhibitis litteris confirmationis (can. 2394, 3) . . . . . » n. **105**, 3

b. Ordinario reservatae.

1. Clericum trahens ad iudicem laicum clericum religiosumve (can. 2341) . . . . . » n. **74**
2. Religiosus in sacris fugitivus (can. 2386) . . . . . » n. **101**, 2

c. Nemini reservatae.

1. Sacerdos confessiones audiens aut a reservatis absolvens sine iurisdictione (can. 2366) . . . . . » n. **89**
2. Ordinatus sine dimissoriis vel ante canonicam aetatem vel per saltum (can. 2374) . . . . . » n. **95**, 3

3. Resignans in manus laicorum officium vel beneficium (can. 2400) . . . . . vide n. **107**, 2
4. Abbas et Praelatus non recipiens benedictionem (can. 2402) » n. **106**, 4
5. Vicarius capitularis illegitime concedens dimissorias (can. 2409) . . . . . » n. **112**, 1
6. Superior religiosus mittens subditum ordinandum ad episcopum alienum (can. 2410) . . . . . » n. **112**, 2

CANONES IURIS POENALIS

(C. lib. V, et lib. IV, tit. 19, 30—32)

Numeri marginales indicantur

Can. 2195 2
» 2196 3
» 2197 4, 30, 114
» 2198 4
» 2199 5, 6
» 2200 5
» 2201 6
» 2202 6
» 2203 8
» 2204 9, 77
» 2205 7, 11
» 2206 6, 11
» 2207 12, 108
» 2208 12
» 2209 13, 14, 60, 75
» 2210 14, 17, 117
» 2211 14
» 2212 14, 15, 80
» 2213 16
» 2214 1, 18
» 2215 17, 46
» 2216 19
» 2217 19, 24
» 2218 6, 8, 20, 27, 83
» 2219 19, 23, 24, 43
» 2220 21, 24, 25, 88
» 2221 24
» 2222 1, 4, 25, 51, 120, 123
» 2223 21, 24, 25, 54, 82
Can. 2224 22, 24
» 2225 24, 25
» 2226 26
» 2227 26
» 2228 15, 23
» 2229 6, 27
» 2230 9, 13, 14, 20, 77
» 2231 14, 23
» 2232 28, 37, 38, 47
» 2233 23, 24, 28, 120
» 2234 22, 55
» 2235 16
» 2236 29
» 2237 30
» 2238 29
» 2239 29
» 2240 29
» 2241 31
» 2242 31, 34
» 2243 32
» 2244 22
» 2245 19, 33
» 2246 33
» 2247 19, 33, 73
» 2248 34, 73
» 2249 34
» 2250 34
» 2251 13, 34
» 2252 19, 29, 35
» 2253 19, 35
» 2254 29, 30, 35, 47
Can. 2255 5, 33, 36
» 2256 37, 73
» 2257 36
» 2258 36
» 2259 37, 38
» 2260 37, 38
» 2261 37, 38, 43
» 2262 37
» 2263 37, 38
» 2264 37, 38
» 2265 37, 38, 45
» 2266 38, 51
» 2267 35, 38
» 2268 39
» 2269 26, 39
» 2270 40, 73
» 2271 40, 73
» 2272 40, 41, 73
» 2273 39, 73
» 2274 5, 41, 69, 73
» 2275 41, 69, 73
» 2276 41, 69
» 2277 41
» 2278 42
» 2279 43, 70
» 2280 44
» 2281 42
» 2282 42
» 2283 43, 45
» 2284 43
» 2285 5, 45
» 2286 46

Can. 2287 46
» 2288 48
» 2289 47
» 2290 30, 47, 51
» 2291 5, 39, 49
» 2292 49
» 2293 50
» 2294 50
» 2295 50
» 2296 49, 51
» 2297 49
» 2298 42, 51
» 2299 51
» 2300 51
» 2301 51
» 2302 51
» 2303 52
» 2304 52
» 2305 11, 53
» 2306 55
» 2307 55
» 2308 55
» 2309 54, 55
» 2310 55
» 2311 54, 55
» 2312 56
» 2313 56
» 2314 50, 57, 58
» 2315 59
» 2316 59
» 2317 26, 60
» 2318 22, 60
» 2319 3, 22, 60
» 2320 50, 61
» 2321 19, 61
» 2322 19, 22, 62, 89
» 2323 19, 63-64
» 2324 65
» 2325 66, 67
» 2326 22, 66
» 2327 22, 67
» 2328 12, 50, 67
» 2329 19, 67
» 2330 68
» 2331 26, 69
» 2332 69
» 2333 70
» 2334 70, 71
Can. 2335 71
» 2336 70
» 2337 72
» 2338 16, 83, 41, 73, 89
» 2339 12, 38, 73
» 2340 73
» 2341 11, 74
» 2342 77
» 2343 11, 32, 36, 50, 75
» 2344 76
» 2345 12, 78
» 2346 12, 29, 78
» 2347 79
» 2348 78
» 2349 78, 110
» 2350 10, 11, 80
» 2351 13, 22, 26, 50, 80
» 2352 12, 81
» 2353 13, 81
» 2354 82
» 2355 76, 83
» 2356 16, 50, 84
» 2357 13, 19, 50, 84
» 2358 85
» 2359 50, 85, 86, 114
» 2360 3, 87
» 2361 19, 26, 87
» 2362 3, 87, 109
» 2363 88
» 2364 41, 89
» 2365 16, 89
» 2366 16, 89
» 2367 16, 90
» 2368 12, 88, 91, 117
» 2369 12, 92
» 2370 94, 95
» 2371 93
» 2372 43, 95
» 2373 94, 112
» 2374 26, 95
» 2375 3, 22, 96
» 2376 97
» 2377 97
» 2378 97
» 2379 97
Can. 2380 97
» 2381 29, 98, 114
» 2382 99, 114
» 2383 99
» 2384 100
» 2385 101
» 2386 101
» 2387 101
» 2388 16, 102
» 2389 101
» 2390 103
» 2391 5, 103
» 2392 104
» 2393 103, 105
» 2394 105
» 2395 105
» 2396 51, 106
» 2397 51, 106
» 2398 51, 106
» 2399 107
» 2400 107
» 2401 107
» 2402 106
» 2403 106
» 2404 12, 108
» 2405 12, 19
» 2406 12, 87, 109
» 2407 12, 15, 110
» 2408 12, 111
» 2409 12, 112
» 2410 12, 112
» 2411 12, 113
» 2412 12, 113
» 2413 12, 113
» 2414 12, 113

Ex ordine procedendi

Can. 1933 4, 54, 64, 114
» 1934 14, 117
» 1935 117
» 1936 117
» 1937 117
» 1938 14, 83, 117
» 1939 118
» 1940 118
» 1941 118
» 1942 117, 118
» 1943 118

Can. 1944 118
» 1945 118
» 1946 55, 118
» 1947 55, 121
» 1948 121
» 1949 121
» 1950 121
» 1951 121
» 1952 17, 121
» 1953 121
» 1954 17, 121, 122
» 1955 122
Can. 1956 123
» 1957 51, 55, 123
» 1958 123
» 1959 122
—
» 2168 98
» 2169 98
» 2170 98
» 2171 98
» 2172 98
» 2173 98
» 2174 98
Can. 2175 98
» 2176 86
» 2177 86
» 2178 86
» 2179 86
» 2180 86
» 2181 86
» 2182 99
» 2183 99
» 2184 99
» 2185 99

INDEX ALPHABETICUS

(Numeri marginales indicantur).

A

abbas 106
abolitio 119
abortus procuratio 80
absolutio 29, 34
— generalis 34
— forma 34
— in periculo mortis 35
— in casibus urgentioribus 35
— haeretic. et schismatic. 58
— sine facultate 73
— a reservatis 89
— complicis 90
absorptio poenae 22
abusus auctoritatis 12
— potestatis 108 ss.
— officii 108
— in actis publicis 109
— potestatis occasione ordinationis 112
— potestatis in regimine religioso 113
accessorius reus 13
accusatio falsa 88
acta publica, abusus 109
— falsificatio 87
actio ex delicto 14
— civilis 14
— poenalis 14, 117
— quomodo extinguitur 119
— quando suspenditur 119
actiones industriales et commerc. 97
actuarius 116
actus preparatorii delicti 15
— legitimi 37, 49, 50
— iurisdictionis 37
— administrationis 43
— pontificii, appellatio 69
— impedimentum 70
adiuncta aggravantia 12
administratio sacramentorum 99
— beneficii vel officii usurpare 105
admissio ad officia divina 73
— ad novitiatum, ad professionem 113
adulterium publicum 84
advocatus in iudicio criminali 116
aetas 20
agere in iudicio 38
aggravantia adiuncta 12
aggressor iniustus 11
alienatio bonorum ecclesiastic. 79
amentia 6
analogia 23
anarchistae 71
anathema 36, 38
apostasia 57
— ab ordine 97
— a religione 101
appellatio a censura 32
— ad concilium 59, 69
applicatio poenae 20
arbiter 38
arbitrium iudicis 21
articulus mortis 35, 38

assassinium 82
assistentia divinis officiis 37
— activa, passiva 37
— infirmorum 99
auctor physicus 13
— moralis 13, 14
auctoritatis abusus 12
— ecclesiasticae impedimentum 70
auxilium vitando impensum 75

B

bannum 1
beneficium 37, 38, 41, 45, 50, 103 ss.
bestialitas 84, 85
bigamia 84
blasphemia 63
bona ecclesiastica usurpare 78
— alienare 79
brachium saeculare 1, 4

C

calumnia 83
canonicus theologus 100
— poenitentiarius 100
canonis privilegium 75
capitalia crimina 1
carcer 48, 51
— praeventivus 123
Cardinalis 26, 35, 74, 75, 76, 106
carnis delicta 84 ss.
casus 8
— urgentiores 35, 47
causa minuens 9, 27
cautelam, absolutio ad 29
celebratio in loco interdicto 73
censura 19, 31
— latae sententiae 32, 33
— ferendae sententiae 32, 33
— inflicta 32
— comminata 32
— multiplex 32
— divisio 33
— ab iure, ab homine 33
— reservata, non reservata 33
— occulta, publica, notoria 34
— speciali et specialiss. modo reservata 72
— contemptus 73
cessatio a divinis 41
circumstantiae personales 14
clausurae violatio 77
clericorum poenae 1, 51
coactio ad prohibitam sepulturam 73
— ad suscipiendum statum clericalem vel religiosum 81
collatio illegitima officii vel benef. 103
collusio 87
coemeterii violatio 67
commissio 10
commoratio in certo loco 51, 123
communicatio in crimine criminoso 73
communio in profanis cum vitando 38
communitas interdicta 41
— capax poenae 5
commutatio poenae 21
competentia statuendi poenas 24
— remittendi poenas 29
— in iudicio criminali 115
complicis absolutio 90
complicitas in delicto 13
conatus 15
— perfectus, imperfectus 15
— remotus, proximus 15
concio in diebus festis 99
conclusio in causa 122
concubinatus publicus 84
— clericorum 86
concursus in delictum 12
— delictorum 22
— materialis, formalis 22
— apparens 22
— legalis 22
conditio 20
— in remissione poenae 29
conditionalis damnatio 21, 48
— liberatio 21
condonatio 119
conferentiae casuum 97
confessio 20
— sacramentalis excepta a non sacerdote 62
— excepta sine iurisdict. 89
— religiosarum, libertas 113
confirmatio 40
— illegitima administratio 89
Congregationes Rom. 76
coniugicidium 82

conreus 14
consecratio episcopi illegitima 94, 95
conspiratio 69
contestatio facti criminosi 122
contrahentes matrimonium coram ministro haeretico 60
— cum pacto educandi prolem in religione acatholica 60
contumacia 31
— formalis, interpretativa 31
contumelia 83
conversio in proprios usus bonorum ecclesiastic. 78
corpus delicti 2
correptio 54-55
— publica, secreta 55
— iudicialis 55, 121
corruptio publici officialis 110
crimen capitale 1
— criminosum 73
culpa iuridica 8
— lata, levis, levissima 8
cumulatio materialis 22
— iuridica 22
custodia ecclesiae, eucharistiae, oleorum 99

D

damnatio conditionalis 21, 48
damnum 10
debilitas mentis 6
declaratoria sententia 28
decreta contra libertatem Ecclesiae 70
decretum Ordinarii in processu crim. 123
— iudicis in processu crim. 123
defensio doctrinae damnatae 60
— libri damnati 60
defensor in processu crimin. 116
degradatio 51-53, 115
— verbalis, edictalis 53
— realis 53
delicta mixta 1, 4, 82, 114
— civilia 1, 4
— ecclesiastica 4
— minorum 9
— contra fidem 57 ss.
— contra unitatem Ecclesiae 57 ss.
— cum haeresi connexa 60
delicta contra religionem 61
— contra auctoritates eccles. 68 ss.
— contra personas eccles. 74 ss.
— contra res eccles. 77 ss.
— contra vitam 80
— contra libertatem 81
— contra proprietatem 82
— contra bonam famam 83
— contra bonos mores 84 ss.
— in administratione sacramentorum 89 ss.
— in receptione sacrament. 95
— contra obligationes status clericalis 96 ss.
— contra obligationes status religiosi 101
— parochorum 99
— in collatione officiorum et benefic. 103 s.
— in susceptione officiorum et benefic. 105
— in demissione officiorum et benefic. 107
— disciplinaria 114
— per abusum potestatis 108 ss.
delictorum concursus 22
— materialis, formalis 22
— apparens 22
— legalis 22
delictum, notio 2
— elementum obiectivum 2
— elementum subiectivum 2
— elementum iuridicum 2
— species 3
— gravitas 3
— publicum, notorium, occultum 4
— manifestum, famosum 4
— praeterintentionale 8
— putativum 10
— concursus in 13
— frustratum 15-16
— locus, tempus, finis 20
— permanens 22
— continuatum 22
— collectivum 22
— habituale 22
— compositum 22
— carnale cum minoribus 84
delirium 6

dementia 6
denegata obedientia 69
denunciatio 38, 91, 117
depositio 51, 52, 115
— principum 1
desertio officii 107
destructio rerum 82
detentio bonorum ecclesiastic. 78
detractio 83
diffamatio 83
dignitas, causa aggravans 12
— ecclesiastica 37, 41, 45, 50
dilatio poenae 21
dimissio officii arbitraria 107
dispensatio a poena 29, 47
— competentia 47
divinatio 66
docentes doctrinam damnatam 60
dolus 5
— eventualis 8
— generalis 8
donatio ad pias causas 78
dos religiosae 113
duellum 80

E

ebrietas 6, 20, 26
Ecclesiae potestas coactiva 1
— systema poenale 17-18
— libertas 70
ecclesiae violatio 67
editor 60
edentes leges, mandata, decreta contra Ecclesiam 70
educatio prolis in religione acatholica 60
effectum ad 29
electio 37, 38, 41, 45, 103
— Pontificis, delicta 68
— indigni 103
elementum obiectivum delicti 2, 10-11
— subiectivum 2, 5
— iuridicum 2
emendatio rei 18
ephemerides 60
Episcopus 26, 74-75, 106
— consecratio 94
error 6
eucharistiae profanatio 61
examen triennale 97
excessus tutelae 11
— in taxis 111
excommunicatio 33, 36
— effectus 37, 38
excommunicatus vitandus 36
— toleratus 36
exemplum, finis poenae 18
exequatur 70
exercitium iurisdictionis eccles. impedire 70
extinctio actionis poenalis 119

F

fabricator falsorum actorum 87
facultativae poenae 21
falsa accusatio confessarii 88
falsae reliquiae 66
falsarius litterarum apostolic. 87
falsi crimen 87
fama 83
familiaritas suspecta 86
favor praestitus delicto 14
— praestitus vitando 73
fatuus 6
feniani 71
fides, delicta contra 57 ss.
filium baptizandum acatholicis offerre 60
— educandum acatholicis tradere 60
finis poenae 18
— delicti 20
forum criminale 114
— delicti 115
— religiosorum 115
— privilegiatum 74
fructus beneficii, officii 38, 44
fuga e religione 101
furtum 82

G

gladii ius 46
gradus delicti 12
— accademici 49
gratia pontificia 38, 45

H

habitus clericalis 97
— privatio 51-53
haeresis 57
— suspicio de 59

haeresis propagatio 59
homicidium 82
homine ab 19
hominis venditio 82
honos, delicta contra 83
hostiae consecratae profanatio 61
hypnotismus 6
hysteria 6

I

idololatria 66
ignorantia 6, 20
— leviter, graviter culpabilis 27
— crassa 27
— affectata 27
— vincibilis 27
impedimentum ecclesiasticae iurisdictionis 70
impetus passionis 6, 20
impuberes 9
imputabilitas 5 ss.
— in conatu 16
inadvertentia 6
incendium 82
incestus 84
indignus ad benef. 103
— ad religionem 113
indulgentiae 37
— quaestus 67
infamia 28, 35
— iuris, facti 50
infantes 26
ingressum in paroeciam impedire 72
inhabilitas ad officia, beneficia 49, 50, 51
iniuria realis 75
— verbalis 76, 83
— mutua 20
innocens, poenae in 26
inquisitio 58
— remedio poenali praemittenda 54
— criminalis 118
insordescentia in censuris 73
institutio 20
— catechetica 99
interdictum 33, 39 ss.
— locale 39, 40, 49
— generale, particulare 39
— ambulatorium 39
— personale 39, 41
interdictum ab ingressu ecclesiae 41, 49
— in collegium 39, 49
— causam dantes 73
interpretatio poenarum 23
interruptio praescriptionis 120
intervalla lucida 6
irrogatio poenae 29
iteratio missae 61
iudicis potestas 21, 25
iudicium criminale 114 ss.
iura stolae 78
iurisdictio 37, 41, 43
— ecclesiasticae impedimentum 70
iusiurandum 64
ius poenale 1
— materiale, formale 1
— patronatus 38
— gladii 46

L

laedere ad impediendum exercitium auctoritatis eccles. 70
laicus reus delicti mixti fori 82, 84
lectio librorum damnatorum 60
legatum ad pias causas 78
Legatus pontificius 26, 74, 75, 76
leges contra libertatem Eccles. 70
lenocinium 84
lex poenalis 2, 11, 14, 23
libellus famosus 76
— accusationis 122
liberatio conditionalis 21
libertas electionis canonicae 103
— confitendi pro religiosis 113
libri damnati 60
— paroeciales 99
litterae dimissoriae 94, 95
— testimoniales 94, 95
lucida intervalla 6

M

magia 66
maleficium 66
mandatum 14
— contra libertatem Eccl. 70
massonicae sactae 71
matrimonium mixtum sine dispensat. 90
— coram ministro acatholico 60

matrimonium sacrilegum 102
medicinales poenae 31 ss.
mercatura 97
mercimonium missarum 65
metus 7, 20, 27, 29
minores, delicta 9
— delicta carnis cum 84
minuentes causae 9, 20, 27
missae iteratio 61
— celebratio a non ieiuno 61
— simulatio 62
— mercimonium 65
mitigatio poenae 21
mixta delicta 1, 4, 82, 84
moderamen inculpatae tutelae 11
moniales, clausura 77
monitio canonica 25, 28, 54—55
— peremptoria 28
— publica 55
— secreta 55
monomania 6
mors, articulus, periculum 35, 38
— poena 46
— rei 119
mortui, poenae in 26
mulcta 49
mulier 20
multiplex censura 32
mutilatio 82

N

necessitas 7, 27
negligentia in officiis paroec. 99
— canonici theologi 100
— canonici poenitentiarii 100
negotiatio 97
noctambulismus 6
nominatio 37, 38, 41, 45
normae processuales 122-123
notorium 4
novitiatus, admissio 113
novitius, privilegium canonis 75
nullitas poenae 23
— professionis religiosae 101

O

obedientia canonica denegata 69
obiectivum elementum delicti 2
obligationes industriales et commerciales 97
obnoxius poenae quis 26
obreptio 87
observantia vana 66
occultum delictum 4, 30
occupatio arbitraria officii vel beneficii 105
officia divina 37, 40, 41
officiales maiores Congr. Rom. 74
officialis publici corruptio 110
officium ecclesiasticum 37, 41, 45, 50, 103 ss.
— privatio 51
omissio 10, 15
— debitae diligentiae 8
Ordinarii potestas in remissione poen. 30
— trahere ad forum laicum 74
ordinatio illegitima 94, 95
— alieni subditi 94
— sine testimonialibus 94
— sine titulo 94
— religiosi 94
ordines recipere 41, 45, 50
— recipere ab excommunicato etc. 95
— recipere sine dimissoriis 95
— recipere sine testimonialibus 95
— conferre 43
ordinis sacerdotalis usurpatio 62

P

pactum educandi prolem in religione acatholica 60
parochi delicta 99
parricidium 82
passio 6, 20
patrinus 38
patronus 78, 79, 82
pensio 37, 41, 45, 49
peregrinus 26
periculum mortis 35, 38
periurium 64
persona moralis 5
personalitas poenalis 6
perterrefacere ad impediendum exercitium potestatis eccles. 70
placet 70
plagium 82

poena, notio 17
— finis 18
— divisio 19
— determinata, indeterminata 19, 21
— temporalis 1
— medicinalis 1, 19, 31 ss.
— vindicativa, 1, 19, 46
— latae, ferendae sententiae 19, 25, 27
— ab iure, ab homine 19
— positiva, privativa, inhabilitans, irritans 28
— facultativa 21
— iusta, iniusta 23
— applicatio 20
— interpretatio 23
— irrogatio 29
— remissio 29
— cessatio 47
— mortis 46
— mutilationis 46
— clericorum 51
— obnoxius 26
poenitentia 19, 20, 54, 56
— efficax 16
poenitentiarius canonicus 100
pontificalia 43
potestas coactiva Ecclesiae 1
— iudicis 21
praeceptum 2, 25, 33, 54, 55
Praelatus nullius 74, 106
praescriptio 28, 120
praesentatio 37, 38, 41, 45
praestationes 78
praesumptio doli 5
preces publicae 37
principalis reus 13
privatio 49
— iuris 51
— officii, beneficii 51
— habitus ecclesiastici 51
privilegium 37, 49
— fori 74
— canonis 75
processus criminalis 122
— normae generales 122
— normae peculiares 123
productio poenae 23
professio religiosa dolosa 101
professio, admissio 113
— fidei 106
prohibitio exercendi sacrum ministerium 51
— exercendi auctoritatem eccles. 70
promotor iustitiae 116
provocatio 11
— ad inobedientiam 69
psychastenia 6
publicum delictum 4, 30

Q

quasi-delictum 8
querela 117
quaestus ex indulgentiis 67

R

rapina 82
raptus 81
— violentiae 81
— seductionis 81
— impuberum 82
ratihabitio delicti 13
realis simonia 93
receptatio 13
recidiva 12
— specifica 12
— generica 12
recursus ad superiorem 35
— ad laicam potestatem 70
— ab abusu 70
redemptiones 56
regradatio 52
regularis, clausura 77
reincidentia 29, 35
relegatio 57
religio, delicta contra 61
religiosus, privil. canonis 75
— delicta 101
reliquiae falsae 66
remedia poenalia 19, 54
reparatio damni 14, 20
res pretiosa 79
reservata absolvere 89
reservatio censurae 33
— peccati 33
residentia neglecta 98
resignatio in manus laicorum 107

restitutio rei ablatae 20
retentio libri damnati 60
retractatio 14
reus principalis 13
— accessorius 13
reviviscentia censurae 34, 35
ritus sacri 40
— negligentes 97
Romani Pontificis electio 68
— iniuria realis 75
— iniuria verbalis 76

S

sacramenta 37, 41, 43
— illicite administrare 89 ss.
— illicite suscipere 95
sacramentalia 37, 41, 43, 49
sacrilegium 61, 67
— personale 67
— locale 67
— reale 67
scandalum 35
schisma 57
scientia 20
scripturae sacrae editores et auctores 60
sectae massonicae 71
sententia 33
— effectus 38
— declaratoria 28, 47
sepulcri violatio 67
sepultura ecclesiastica 41, 49
— illegitime tradere 73
sexus 20
sigillum sacramentale 92
simonia 59
— mentalis, realis, conventionalis 93
— in sacramentis 93
— in officiis et beneficiis 104
simulatio missae 62
socialistae 71
sodomia 84
sollicitatio 91
somnum 6
species consecratas abiicere 59, 61
stolae iura 78
stuprum 84
subreptio 87
suffragia 37
suicidium 80
superior religiosus quad ordinationem 112
superstitio 66
suppressio sedis episcopalis 49
surdo-mutus 6
suspensio 33, 42, 51
— ab officio 42, 43
— a beneficio 42, 44
— generalis 42, 45
— specialis 42
— totalis 42
— partialis 42
— ab iurisdictione 43
— a divinis 43
— ab ordinibus 43
— a sacris ordinibus 43
— a certo et definito ordine 43
— a certo et definito ministerio 43
— ab ordine pontificali 43
— a pontificalibus 43
— in communitatem 45
suspicio de haeresi 59
sustentatio honesta 52
systema poenale Ecclesiae 18
systemata poenalia 18

T

taxae excessus 111
tempus delicti 20
testis 38, 87
theologus canonicus 100
theoriae poenales 17
— absolutae 18
— relativae 18
— mixtae 18
toleratus 36
translatio sedis episcopalis 49
— ab officio vel beneficio 51
tutela legitima 11
— excessus 11
turbas ciere 72

U

urgentiores casus 35
usura 82
usurpatio ordinis sacerdotalis 62
— munium sacerdotalium 62
— bonorum ecclesiasticorum 78

V

vacatio beneficii 105
vana observantia 66
venditio hominis 82
veto 68
vicarius capitularis 112
vigilantia 54, 55
vindicativae poenae 46 ss.
violatio ecclesiae 67
— coemeterii 67
— privilegii fori 74
— privilegii canonis 75
— clausurae 77
violatio sigilli 92
— vitae communis 101
violentas manus iniicere 75
violentia 82
vis physica 7, 29
— privata 11
visitatio canonica monasterii 113
vita communis 101
vitandus 36, 38, 73
vox activa 49
— passiva 49
vulneratio 82

Acc: 5496 343.55 C52

Chelodi, Joannes

AUTHOR

Ius Poenale et Ordo Procedendi

TITLE

in Iudiciis Criminalibus

Lib. 6.—